QUINCTI SECTANI PAMPHILI NEPOTIS

EPISTOLÆ SEX,

AD DOCTOREM

ANTONIUM VAIRAM

In Archigymnaſio Patavino Sacrorum Canonum Anteceſſorem Primarium,

SEU

Critica diſcuſſio primi & ultimi capitis Libri qui inſcribitur:

DE PRÆROGATIVA OECUMENICÆ NOMENCLATIONIS ET POTESTATIS, &c.

M. DCCVII.

2

CLARISSIMIS ARCHONTIBUS

LITERARIÆ REIPUBLICÆ

Typographus S.

HAs Epistolas italicè scriptas Nobilis ex nostratibus quidam Roma rediens huc detulit, quas protinus communis peritorum Italicæ linguæ plausus excepit, quippe argutas, eruditas, castigatasque; quarum scilicet lectio, cùm plurima doceat, ubique delectat. Eas ex adolescentibus nostris, qui notitiæ linguarum assiduam atque omni ævo perutilem operam navant, quispiam latinè reddidit, ac mihi edendas commisit, quò latiùs usus earundem prosit etiam ignaris sermonis Italici. Præstiti id ego libentissimè, quòd hinc mihi, uti reor, non absurda contingat occasio testimonio aliquo addictissimi Obsequii mei demerendi Rempublicam vestram. Vix enim ea prodiit in publicum, Lamindo Prytanio præcone, cùm omnium studia, mea autem in primis sibi rapuit: effecitque, ut optarem hoc ipsum, quod mihi fors obtulit; quodque nemo mihi jure succenseat, quasi vel audax minora dignitate vestra, vel importunus aliena à vestra virtute, vobis, Viri Clarissimi, sistam. Ii estis, quibus quidquid ubique doctum, eruditum, aut elegans, quantulumcumque illud est, debeatur: quippe ex ipso nomine Principibus ac Patronis literariæ Reipublicæ, ad quos jure muneris ac dignitatis Archonticæ liberalium laborum & judicium & tutela pertineat. Accedit, ex ipsa libelli Inscriptione vestras has Epistolas esse, quæ à Q. Sectano Pamphilo Nepote

scrip-

scripta, non aliis dicanda erant, quàm Vobis, inter quos Q. Sectanus Patruus Censoria ex Satyra officio fungitur potestate, ad quam etiam tam probè nepotem instituit, ut constat ex his ipsis Epistolis. Eas proinde, qua estis benignitate, Cl. V. libentes accipite: admissique ad lepidam aequè ac utilem fabulam, quasi ex Orchestra gravissimè plaudite; atque interim Reipublicae, cujus faustitati & incremento praeclarissimum nomen dedistis, Valete.

Q. SE-

Q. SECTANUS PAMPHILUS NEPOS

Excellentissimo ac Præstantissimo Doctori

ANTONIO VAIRÆ

Sac. Can. Antecessori Primario in Archilycæo Patavino S. P. D.

SUm, Excellentissime D. Doctor, unus ex literata Plebe Archigymnasii Romani, qui cùm superiore, qui proximè elapsus est, anno, Te Romæ viderim, procerumque istud specimen Jurisprudentiæ Tuæ suspexerim, raro amoris exemplo, te mirè statim dilexi, ratus maximum quidpiam in te magno esse; nec nisi locupletissimum te virtutum omnium copia, cui tam singulares animi supersunt. Hinc mihi non impar concepto statim amori desiderium ineundæ tecum amicitiæ, mutuæque charitatis; quin & gratissimi fœderis feriendi, quo isthic gloriæ tuæ pompa, jucundissimo veluti fœnore, quadantenus in me quoque redundet. Capto igitur omnia, omnesque eò confero consiliorum meorum curas, ut te mihi demeream, meque tibi eum pro virili ostentem, quem amantissimum tui jure possis optimo dicere.

Nec satagenti omnium religiosè defuit nuper occasio. Nam cùm recens mihi auspicatò contigerit non vulgares insidias accuratè deprehendere, quas adversus famam ac nomen tuum nasuta

Natio Profeſſorum noſtri hujus Lycæi molitur mo-
roſè ac nequiter , operæ pretium factturum me
duxi , præſtiturumque tibi quale quale amoris er-
ga te mei argumentum , ſi tui gratia , ſpurcam
cætero qui obſcænamque , delatoris perſonam ad-
ſumam ; tibique brevibus literis ea nuntiem , quæ
Ardeliones hi noſtri adverſus te crebra muſſitatio-
ne deblaterant , creberrimiſque conventibus ſtru-
unt . Tantus enim , atque is penes me es , cui
per me admonito rerum , quæ hìc ſugillantur , fa-
cillimum ſit , paratos in te cuniculos , antequam
in vaporem ac incendium erumpant , ſuperfuſa
vel guttula immenſæ ſapientiæ tuæ reſtingue-
re.

Antequam tamen id muneris ſubeam , tibique
Adverſariorum tuorum conſilia ac rationes pro-
dam , æqui bonique conſulo , ac ex re tua fore
conſtituo , ut peculiaria quædam ſigillatim agno-
ſcas , quibus juvabere plurimum , nec mediocri-
ter delectabere . Cùm rumor ad nos detulit , ve-
nire Romam ex Interpretibus Sacrorum Canonum
in prima Sede Patavii alterum , Anteſignanum ,
ac Doctorem ſolemnem ſacræ Juriſprudentiæ in
famigeratiſſimo Studio Paduano , ut Romano Pontifici
D. N. dicatum librum offerret , Opus vix exan-
tlatum annis duodecim ad inſtar Elephanti ; quo
nimirum Schiſmaticorum Hæreticorumque in Oe-
cumenicam Poteſtatem ac Nomenclationem Rom.
Pontificis ora obſtruuntur , evertunturque cona-
tus omnes ; vix tibi ſatis verbis explicare potero ,
ruborem pudoremque , quo Præceptorum no-
ſtrorum vultus offuſi ſunt. Nec latuit ipſorum con-

fuſio

fusio nos eorum discipulos astutulos ac petulcos; quibus ea inde facta lætitia, is ex Professorum pudore erga te plausus, ut passim in nostris symposiis famæ tuæ ac Nomini præclarissimo propinaremus.

Porro ubi palam innotuit, te jam itineribus magnis profectum Patavio, admissis equis, adventare Romam, raptim ex itinere, Turcarum more, victitantem, ea etiam anni fervidioris tempestate; qua, prohibente caniculari æstu, Urbem non nisi Asini, Bubali aut Tabellarii adeunt; tunc verò Præceptores nostri sincipite in terram demisso, defixisque ad mœrorem oculis, stupere, nec erigi in cervicem perturbati confusique palam: nos verò, qua sumus per ætatem nequitia, gaudere, plaudere; quoque magis ipsorum pudor, atque inde tripudium nostrum augeretur, dies integros impendere laudibus Magnanimitatis tuæ, atque ex ea æquare te Magno Ambrosio, ad procurandam Principum pacem & ad tutandam veritatem circumquaque periclitantem, aggresso tot itinera, tot labores ærumnasque, nulla sui ratione habita, passo.

Jamque Romam adveneras ad votorum nostrorum satietatem felicissimè; spectaculumque sui gloriosum, mirumque in te faciebat ea gravitas ac majestas, quam omnes conspicati admirarentur, amarent experti, edocti sibi optarent perpetuam. Nec Præceptorum nostrorum livorem vafrum fefellit hoc erga te omnium studium; quærebantque abditissima quæque secessui suo, veriti, ne populus mensus lævitatem ipsorum ad gravitatis tuæ instar,

infamem illis digitum oftentaret: nec pofticam jam fannam ingereret. At nos difcipuli mirifico perfufi gaudio, præfentiaque tua propè dixerim ebrii te ponè fequi, affundi tibi, ut mufcæ melli lactive; atque undequaque dictorum tuorum flofculos legere, notare fententias, adorare rarum iftud fapere in homine longo.

Et conati funt fanè ex Profefforibus noftris non pauci mille artibus expifcari, quæ dixeras, quæ docueras, licitarique à nobis per fubtilem induftriam Apophtegmatum tuorum pretiofiffimas merces. Verùm placuit nobis ea malignis eorum obtutibus fubducere, ac veluti centum fignata clavibus cuftodire nobis: quippe reipfa grande palam præfeferunt fpecimen fimplicitatis & ignorantiæ, iis tamen dumtaxat, qui plenè planeque altitudinem iftam fapientiæ tuæ non funt fcrutati.

Quid interea non egimus, quid non fumus aggreffi, quibufque aut verbis, aut precibus pepercimus, quò unum aliquod exemplar fapientiffimi Operis tui nancifceremur? At fruftra. Quippe ea omnium refponfio: perpauca à te huc exemplaria delata: nec plura potuiffe convehere furtim Patavio profectum, interjecto colore Religionis erga Lauretanam Deiparam: Perpauca illa Romano Pontifici deftinata, felectifque ad hunc honorem Purpuratis Patribus, haud equidem tanto honore dignatura privatos oculos noftros, ni tandem faturata majori luce, ad minorem & ex publico privatam venalium Bibliothecarum defcenderent. Non placuit flagrantiffimis defideriis noftris, queis torquebamur miferrimè, tanta parcitas tua, cui

tamen

tamen meritas ex modestia, perspicacitate, atque prudentia laudes rependimus; quare Patavium scripsimus: Sed & inde rescriptum, libros tuos, quanquam vernas ibi, nusquam apparere. Sepositos esse religiosè, eòque conditos, quò nulla posset pecunia, nullum pretium pervadere: destinari quidem publicitus ex famæ suffragio, celebrioribus Academiis, ut per publicam Literatorum commendationem privatum minorum gentium usum auspicentur.

Gloriæ tuæ amplitudo desideria mea solata est; ac exinde mecum ipse constitui, me dignum non esse, qui meos oculos scriptis tam illustribus perbearem. Tandem ubi certum tempus effluxit, quidam majorum Flaminum, quos Prælatos vocant, non ex sapientioribus sanè, at re vera ex iis unus, quos Religionis Orthodoxæ studium (zelum appellant) maximè subigit, utrum pietate an indignatione provocatus, ignoro, Magistro meo libri tui celeberrimi exemplar detulit, legendumque permisit: simul acriter objurgavit inertiam ejus, quòd Romanis sumptibus paneque, ut ajunt, D. Petri tot annos inutiliter saginatus, ex Italico adagio, manibus ad zonam suspensis, summa Ecclesiæ discrimina, insultantibus undequaque Hæreticis ac Schismaticis, otiosè respiceret: relicta interim gloria repugnandi tot iniquis conatibus Veneto Presbytero humilis artificis filio; qui, exacta inter Clericulos Ecclesiæ cujusdam Venetiis adolescentia, pædagogum mox agens Patritiæ cujusdam familiæ ibidem, per ingentes labores ac sudores assiduos Cathedram in Lycæo Patavino nactus est; ac ne num-

nulo

mulo quidem ex Ecclesiastico Censu aliquo ditatus palam pronunciaverat, nolle sequidquam oblatum licet ingestumque recipere: remittere Romano Pontifici antidoralem obligationem, octingentorumque Scutatorum gratuitum, sed & annale stipendium, ex fasce Beneficiorum oblato, repudiare; quamvis hæc, quemadmodum & honores illi Romæ collati, ipsaque sessio in Consistorio, ubi sola Purpura sedet, eidem permissa ac imperata perleve præmium fuerint, aut essent futura iis gloriosis laboribus, quos tutatus jampridem Oecumenicam Potestatem ac Nomenclationem Romanæ Sedis felicissimè devoraverat.

Quid his auditis acciderit Magistro meo, facilè tute ipse conjicies. Tametsi persenex, & in Ecclesiastica Historia tota pene dixerim ætate subactus, hinc Commentario tuo mirificè territus, inde tam acri, & si fas dicere, inhumana objurgatione persundatus, in vivam timoris pudorisque imaginem medullitus abiit: videbaturque nobis adstantibus, ex cadaveribus Ægyptio pollinctore conditis unum aliquod ad boream appensum. Quamvis autem aliàs facundus & eloquens tum in Exedra, tum in disputationibus, dicaculus etiam, &, ut fert ea ætas, ad ravim verbosus, tunc tamen obmutuit: contractisque ad spectaculum miserrimę patientię humeris, suscepto libro tuo, demisit auriculas ut iniquę mentis asellus, se seque in conditorium studiorum suorum abripuit. Ibi perdiu in percurrendo, pensitando, adnotandoque Opere tuo diurnam nocturnamque operam posuit, vires ingenii consumpsit, &, ut ajunt, cerebrum eliquavit tanta mentis Criticæ conten-

tentione, tantoque ac tam monastico Censuræ studio, ut nullum ad solita colloquia, ne viros quidem eximios ad insolita admiserit; nobis interim discipulis otiantibus, ac de eo jucundissimè mussitantibus, quòd præceptor noster tandem aliquando virum optimum doctumque invenisset, ex cujus virtute cognosceret, esse se in re Ecclesiastica non spernendæ eruditionis, at neque absolutæ numeris omnibus, nec ejus, quam sibi arrogat, quaque tu unus toto Orbe terrarum censeris.

Postremò demum post multos & multos dies è cubili vipera prodiit, toto tamen & vultu & corpore, ab ea, quæ se eò condiderat, diversissima. Eum ego quanquam aliàs senem superciliosum ac tristem, tunc ridentem inveni lepidumque, ac tanta refertum lætitia, ut Catonianam severitatem commutasse videretur in raram ipsi ac prorsus insolitam comitatem. Tantæ catastrophes causas efflagitabam; putabamque aut Purpuram Præceptori meo deproperari, aut parari Corcyrenses Infulas, quas licet Patriciis olim capitibus Venetorum sacras, si vera scribunt Patavio, tibi oblatas imperiosè, à te fortiter fuisse rejectas, clam palam, mussitas tamen.

Non est passus diu Magister meus discipulum tam longè à veritate peregrinari, castigavitque somnia mea: porrecto autem, quem manu tenebat, libro, hunc, inquit, accipito, atque amota mora quacumque, perlegito. Etenim quamprimùm libris ut novissimè accepi, damnatis proscriptisque, si homines sapiunt, adscribetur; quique nunc assibus Juliis viginti ad pompam inemptus omnibus prostat, vix centusse aureo venalis habebitur. Ego sanè nihil

unquam

unquam ineptius legi, juratusque ajo, hujus Operis Auctorem deteriùs in Ecclesiam grassari, dum eam tam ineptè tutatur, quàm grassati in eam perfidiosissimi unquam Heretici fuerint, cùm oppugnarent. Hæc ille graviter ac seriò, cùm ego Librum respexi; vidique, Doctor Optime, tuum ipsum ex fronte esse, Aldinis Typis conspicuum tuique nominis Antecessoria majestate venerabilem. Obmutui, obstupui, lapide lapidosior evasi; nec tamen sine stomacho & ira in silicernium illud, quod, licet discipulus, diris omnibus execrationibusque devovi. Nam quid de te tali tantoque dici poterat probrosius? Ratus ergo ea omnia per livorem ac rabiem dicta, commenta, risu tantùm hominis furorem multavi, acceptoque libro domum adcurri; ac sepositis omnibus, mihi tibique unis secessi, quò tandem apud optatissimam sapientiam tuam lautissimè cœnitarem.

Nec perfunctoriè, quæ scripseras, legi: iterum, iterumque legendo, notandoque versavi omnia, cæteris interim curis valere jussis; tandemque in eam sententiam abii, qua me ignorantissimum dicerem; quippe cui nunquam fas fuerit, deprehendere, aut intelligere, quid in eruditissimo hoc Elephanto tuo aut nobis dicas, aut tibi velis, agasve. Id ignorantiæ meæ fuerit, quam libens profiteor, veniam apud te studiososque tui, hac ingenua confessione meriturus. Etenim non multum est, ex quo cæpi Ecclesiasticam Historiam delibare: nec in hac parte sacræ Sapientiæ ex professo versatus, subcisivis temporibus hoc mihi curarum episodium facio ex eorum dumtaxat Criticorum consuetudine

usuque,

usque, quorum jamdudum Opera lucem publicam aspexere. At te, si famæ fides, cùm annos duodecim integros impenderis huic Operi tuo decumanis inscripto literis, paginisque majoribus elegantissimè exarato, par est credere, reliquum vergentis in senium vitæ codicibus omnibus & apographis celeberrimarum tota Europa bibliothecarum lectitandis insumpsisse.

Quò fit, ut quemadmodum me decet effatis tuis omnem fidem præstare, ita & oporteat te in Pythagoricam auctoritatem mihi adsumere, eam scilicet, quam *Textibus* Jureconsulti damus; teque, cùm tempus locusve pòstulabit, opponere Baroniis Bellarminis, Pallavicinis, Peroniis, Petaviis, Valesiis, Coteleriis, ac Tilemontiis, qui certè longè aliter, ac tu quæ intelligis ac interpretaris, intellexere. Nullus enim dubito, quin tu videris & observaveris, quæ neque videre neque adnotavere hi Viri Clarissimi, quorum fama in re Ecclesiastica enucleanda, non sine strepitu ac laude perennat. Ego certè hoc ipso te his omnibus præfero præferendumque protinus censeo, quòd te non intelligo. Et quamvis in hac de te sententia mea, quam penè omnes vituperant, mihique instar piaculi imputant, nullum socium inveniam, haud attamen terreor, gnarus, qui secus de te existimant, eos livore penitus agitari, cujus acerrimis stimulis oppugnatum eunt sesquipedalem gloriam Nominis tui, simul docent veritatem Adagii illius Italici: *Si livor febris esset, hæc omnibus inesset.*

Sed de meo erga te studio, deque obsequio mentis meæ, quo te devinctissimè prosequor, plura ali-

bi; interim quid astutulus Præceptor meus in te struxerit, audi. Dum ego in obscurissimo mihi, mihi inquam soli obscurissimo libro tuo puram putam, acutam ignorantiam addisco, is & Collegæ, quos Historiæ Ecclesiasticæ accuratior notitia delectat, non te invisum inaspectumque sibi voluere; collimabantque in infamiam Operis tui, palam infensi, indignantes ubique, quandoque non sine risu ac dicteriis. Igitur coire sæpe, sæpe miscere consilia, & ut ad brevitatem epistolæ omnia peragam, de eo, quod de te atque Opere tuo agendum esset, studiosissimè consultare. Et in eo statim hæsere dubii, an de erratis tuis quamplurimis monendus esses, castigandusque?

Negabant aliqui, sed pauci, at fortassis solertiores prudentioresque: ajebant, id sibi muneris adsumere, & inutile & pertricosum inutiliter esse, fore perhonorificam objurgationem hujusmodi ineptiis tuis, eaque videri posse, te referri in ordinem magnorum Virorum: relinquendum te esse tenebris ac sordibus tuis; nec faciendum teruncii, flocci, pili, quippe minimè dignum, quocum quis sine famæ dispendio agat.

At contra affirmabat Magister meus, monendum te esse, crebroque adstipulantium Collegarum suffragio suffultus ostendit, errata tua ea esse, atque eam, ut ipse declamabat, audaciam tuam, ut; salvis iis omnibus quæ pars adversa perpenderat, ni eorum admoneare, maximum ex præjudicio damnum Sedi Apostolicæ videatur impendere: quasi necesse sit illi, ut se se ab impiis Hæreticorum Schismaticorumque calumniis tueatur, ad errata & ineptias confu-

confiigere. Addebat, veniam, ſiquà tibi clementi ſilentio concedatur, nec è republica ſapientum, nec è re tua eſſe: quippe fore, ut uberiùs conſtantiuſque deſipias, tibique plaudas quaſi ſapientiſſimo ex iſthac audacia & ignorantia tua, qua nimirum corruptiſsimè concipis omnia, de omnibus præpoſterè judicas; atque ea ita in ſcripta tua refers, ut diverſiſsima ſint ab ingenuo ſuoque ipſorum ſenſu: ab illo itidem, quem ipſis accuratiſsimo uſu Patres ſanctiſsimi indidere; verendumque proinde, ni paralogiſmis & alogiis tuis Viri docti conſulant, & quidem mature & graviter, ne, quemadmodum mira aſsertione egiſti, (1) ut Tertullianus Pilatum Chriſtianum ediceret, utque miro anachroniſmo Turonenſis Gregorius eundem Manichæum declararet, ita in poſterum agas, ut alii eum ipſum Turcam, aut Calviniſtam, aut Janſeniſtam, aut etiam ex noviſsimis Quietiſtis aliquem faciant. Inſtitit hæc ipſa confirmans numeroſo Sacrarum Paginarum teſtimonio, atque illo in primis, quo conſtituitur: reſpondendum eſse ſtulto, ne ſe audacter & improbè ſapientem exiſtimet.

Hæc in venerabili Doctorum noſtrorum Senatu ſententia obtinuit, ſtatimque ex his noſtratibus Profeſſoribus junior, ætate vix dum à Curatore ſoluta, (quippe ex adagio quod infirmius in plauſtro, id & ſtridulum magis) conceptis verbis fidem ſuam obſtrinxit, effecturum ſe, ut in primo tantùm tui Operis capite errata centum, eaque graviſſima manu palpares. Riſere tam audacem polli-

(1) Cap. 12. pag. 1064.

licitationem Seniores : verùm ille primis ipsis in paginis egregii Operis tui tot nugas, tot gerras, tot deliramenta proposuit, & quasi digito demonstravit, ut è vestigio persuaserit: mandataque est te monendi provincia ipsi, uti Professorum omnium minimo, quò scilicet hinc etiam intelligas, quanti te faciant Doctores hi nostri, quamque humiliter de te sentiant, quem pumilioni committunt.

Quod ad me attinet, non deero rei tuæ, hæreboque semper lateri Professorculi hujusce nostri, ut quidquid in te comminiscitur, accuratè deprehendam, deprehensum ad te scribam, teque de omnibus, quæ clam palamve damnantur in libro tuo, certiorem, quàm diligentissimè potero, faciam: ut antequam in publicum prodeant, quæ notat, quæ sugillat, in ea omnia quæ animadvertit, telum Peliaco fortius appares, Ægidemque nulla penetrabilem cuspide expedias, quibus ictus aut retundas, aut referas; simul ipsum doceas, quantæ quamque periculosæ opus aleæ sit, crabrones tuos irritare.

Unum oro, àc per te mihi clementissimè indultum efflagito, ut parcas amori meo, si citra phaleras & ornamenta, familiariter scribendo te & nunc convenit, ac deinceps sæpe conveniet. Novi profectò non aliter te tam grandem tam longum adeundum, nisi per elegantissimas ac facundissimas literas; quippe ex effato Thaletis, cum doctis doctè; cœperamque aliquid argutari, quod dapsile saperet ac sumptuosè, nimirum ex aliena penu depromptum. Sed deterruit me stylus tuus nitidissimus, &, vel

Asco-

Asconio Pediano judice, Ciceronianus, qui scilicet Pædotrophium penitus sapiat; unde, quemadmodum scribitur, munificè, gratis, liberaliter à facundissimo ac latinissimo Rhetore illum tibi comparasti, ne Solos, quò sæpe commeas in hoc etiam Opere, navigares. Tam candidæ latinitati par aliquid aut simile rependere nefas visum; placuitque tecum agere, etsi latinè parum atque admodum barbarè, at certè simplicissimè & ex amoris lege, quem tibi profiteor, & ex cujus voto, cùm livori in te debacchanti malam crucem imprecer, tibi salutem plurimam dico dextramque istam tuam Assertricem Oecumenicæ Potestatis & Nomenclationis deosculor. Vale.

Romæ Pridie Idus Februarias. Anni MDCCV.

EPISTOLA II.

Quod prima Epistola mea, Excellentissime D. Doctor, tibi peringenuè ac peramanter promiseram, reddo: eorumque te certiorem facio, quæ hìc livor in te comminiscitur. Nulla dies Professorculo nostro sine linea, sine notula, sine animadversiuncula; rimatur omnia, ad trutinam revocat omnia; quidquid id est, quod ad auctoritatem fidemve faciendam producis, satyrico suspendit naso: neque ullum est ex iis, quibus argumentationes toto primo Capite libri tui eruditissimas explicas, in quo difficilis, impatiens, morosus non excreet; uno verbo, quod aut probet, aut penitus probet. Id enixissimè satagit, ut corvos uncosque conglomeret; verùm haud satis affir-

mare possum, an eos injecturus innexurusque sit, ut, quod maximè percupit, iis famam ac gloriam celeberrimi Operis tui ad Gemonias ac Tyberim trahat. Nam id mihi jampridem persuasi, te talem tantumque neque errare in libro tuo, neque errare potuisse.

Sed enim Criticus noster ad instar aranei nihil non audet, ut nocentissimum virus exprimat vel ex innocentissimis rosis; affirmatque ac palam deprædicat, ea omnia, quæ sapienter ac splendidè & ad usum literariæ Reipublicæ in doctissimo libro tuo constituis, ac quasi tuo recens marte elaborata proponis, esse chimæras, hippocentauros, sphingas, & hircocervos distorti perversique judicii tui.

Quamvis his tam iniquis, tam improbis de te sententiis & irascar & torquear, visum est tamen in speciem acquiescere, quin & plaudere ipsi palam, quandoque etiam assentari; quò omnia, quæ in te machinatur, agnoscam tibique deferam ex fide promissi. Ergo cum homine histrioniam facio tui causa, atque ita ludum serium ludo personatus laudator sententiarum ipsius, ut sit nihil in iis, quæ acriter censoria virgula notat, cujus me gnarum atque participem non exoptet. Fit ergo ut hinc tibi præsto sit per me scire omnia, ex quibus reprehenderis traducerisque, quò diutius & pacatiùs ac planè meditatè ad famosissimi deinceps Operis tui tutelam te præpares; ostendasque proterviæ homuncionis hujus è trivio, te in re Ecclesiastica, quamvis parergon Canonicorum Studiorum tuorum ea sit, ultra crepidam sapere, magistrum

ſtrum eſſe, ſcripſiſse, nam ſic modeſtè loqueris: (1) *integrè & incorruptè ſine cultu & nitore*: denique, hierodidaſcalon uti decet, offerri à te Summo Pontifici *decimas & primitias*, hoc eſt, crepundia & cruſtula venuſtiſsimi Ingenii tui.

Quod igitur felix tibi fauſtumque ſit, quodque amori erga te meo ſingulari profit, Profeſſor noſter *Dedicatoriam*, uti dicunt, Epiſtolam tuam ferre non poteſt: Inſcriptionem ejus pluſquam Democritico rictu deſannat; nec ſatis intelligit, qui tibi venerit in mentem, Epiſtolam illam Chriſto Reparatori & Summo Pontifici inſcribere, (2) cùm in ea de ſolo Pontifice agas, atque hunc unum alloquare, relicto ad Antipodas Chriſto Reparatore. Intelligit, exemplo præiſſe tibi Bollandum in primo Tomo; negat tamen, te ejus veſtigia ſecutum, aſſecutum fuiſſe ejuſdem judicium. Illud etiam reprehendit, quòd tam jejunus fueris in tanto Pontifice laudando, qui diceris ubique prolixus & nimius: ait, non debuiſſe te, qui Vitam tuam totam eorum facis, quos publicè laudas, ſolidum diem vel horam ſaltem Pontifici, quem honorificè convenis, invidere; ſuſpicaturque hinc non invitus, farinam hanc vel non eſſe è ſacco tuo, vel certè alieno eſſe piſtrino molave ſubactam.

Jam quæcumque in Epiſtola ad Lectorem (3) ſufſercis, omnia faceta ac lepida cenſet; at facetiſſimum

---

(1) *In altera Dedicatoriæ pagina.*

(2) *Chriſto Reparatori, Tibique Clementi XI. Pont. Opt. Max. Oecumenico ejus Vicario.*

(3) *Unde inſtituta Diſſertatio modò vim, modò nitorem, modò utrumque caperet.*

mum illud, quo tibi ipsi repugnas, pollicerisque in hac Dissertatione tua nitorem illum, quem paulo ante Romano Pontifici in Epistola (4) Dedicatoria magnificè fueras inficiatus. Non satis percipit, qui statim ab initio ac velut à fronte Historiæ tuæ, inconstantiam tuam jactare volueris: ni dicamus, id vitium esse solemne scriptionibus illis, quæ diversissimis manibus calamisque peraguntur. Monet te igitur, ut, si quæ alia typis destinas, tibi ipsi soli committas; ne dum nomenclatore uteris cùm Lectorem aut Patronum alloqueris, sponsa despondeas aliusque & alius videare.

Gratulatur etiam tibi pulcherrimum ordinem, quem, in nominandis duabus Ecclesiis Latina & Græca, tibi ipsi præstituis. (5) Nam Græcam & Latinam dicere, piaculum est, hæresis, sacrilegium, ut evidentissimè comprobas ultimo (6) Capite Operis tui, ubi castigatè prorsus & eruditè, Lucam Evangelistam Antiochenum ex Breviario, quod hinc suspicatur, à te raró legi, Atheniensem facis. (7) At de illo queritur, quòd in hoc novo ac le-

(4) In Ep. Dedicat. *Quod sine cultu & nitore pro Veritate disserui.*

(5) In Ep. ad Lect. circa finem. *Adjecimus in fine Operis, quod ad Oecumenicam Romani Pontificis prærogativam visum est pertinere ordinem scribendi, quoties utraque Ecclesia Latina & Græca nominaretur.*

(6) *In Rubrica. Esse damnatum scribendi modum, Græca & Latina, seu Orientalis & Occidentalis.*

(7) C.ult. Col. 1065. lit. B. *Lucas autem &c. fortasse, quia cùm Atheniensi esset, patrio sermoni dare primas voluit.*

ac lepidissimo ordine tuo Romanæ Ecclesiæ sis oblitus; nec satis sibi persuadere potest, te pro Romana Latinam sumere.

Miratur, quòd asseris, Opus tuum ex præcipuo scopo eò tendere, (8) ut animos Catholicorum confirmet in orthodoxo dogmate: de quo nimirum Catholicus nullus dubitaverit unquam, quod citra nugas tuas Catholicus quilibet quasi symbolam fidei suæ tenet: Ait, jocos hæc esse ludosque; nec fore, ut unquam credat, te cum lemuribus, phantasmatibus, umbris, imo cum nihilo luctari voluisse; quin imo, vel te invito, persuasum habet, tibi propositum fuisse hæreticos & schismaticos dogma istud inficiantes coarguere, & ad gremium matris Ecclesiæ revocare.

Interim christianæ demissioni ac modestiæ tuæ plaudit, qua videris prægrandem hunc Librum tuum & ex folio majore dumtaxat spectabilem, cuicumque censuræ (9) subjicere: gratificaturusque

C huic

(8) In Ep. ad Lect. cir. fin. *In quibus omnibus illud primum ac præcipuum consilium nostrum fuit, ut conferentes in rem Christianam quantum pro virili possemus, Hoc dogma Catholicum, tandiu jactatum, altiùs infigeremus animis Orthodoxorum.*

(9) Ad Lect. sub initium. *Id ubi cognoveris, feres tu quidem judicium, quod voles: non enim ita ipsi amamus nos, ut recusemus, quid cæteri liberè existiment.* Et in fine. *Ubi quidquid erit, in quo possimus jure argui, emendarique, non refugimus tenuitatis nostræ conscii, quominùs & discamus admoniti, & reprehensi corrigamus.*

huic candidissimæ probitati tuæ, non minore candoris ac probitatis redhibitione, ex amicitiæ fide, hoc tibi consilium dat, ut Librum tuum protinùs Vulcano devoveas; nempe non aliter ulla unquam satis accurata censura expiabilem.

Hæc momus noster in unam alteramque Paginam tuam declamat. At ego mihi gaudeo tibique gratulor, præstantissime Doctor. Nam hactenùs notata, sugillata, reprehensa, nugæ sunt, infantiles ineptiæ, gerræ siculæ, quas ut impares labefactandæ gloriæ illustrisimi nominis tui, te deceat floccipendere, atque ut ingentis animi tui attentione indignas omittere. Quapropter ulteriùs pergam alacriter, hilari promptoque animo. O meas delicias jucundissimas, cùm contundes infringesque stupidam proterviam Doctorculi nostri!

Negat is absolutè ac simpliciter, actum à Dioscoro tentatumve, ut detractum Romano Pontifici nomen ac jus (10) Oecumenici sibi assereret. Ait, te blaterare ex libito, atque ex animi morositate, infercire verba puerorum more, cùm talia autumas. Mera hæc esse somnia tua, esse larvas, atque intemperias. Præsedisse quidem Dioscorum Ephesinæ Synodo, quam Latrocinalem appellant, atque ibi multa ausum in multos, atque etiam in Romanum Pontificem. Hinc tamen, quid ad hanc, quam gratis adsumis Dioscori criminationem

(10) Cap. 1. Col. 1. & seqq. à lit. C. *Omnium primus sacrilego ambitu Dioscorus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus id (Jus Oecumenicæ Principalitatis) affectaverat: malis enim artibus......*

nem colligas, neque videre se neque ullum unum aliquem, te excepto, visurum unquam.

Negat etiam, Dioscorum malis artibus affectasse superbum Patris atque Antistitis Oecumenici nomen ab Olympio Evazorum Episcopo in acclamatione ipsi collatum; censetque, eum titulum, ex quo imperitè accusas Olympium, ad quemvis alium scopum spectasse, quàm ad eum, quem ridiculè somnias.

Objeci his ego, ut te, qua possem, catè defenderem, prudentissima illa tua verba: (11) *ut credere par est*. Verùm indignatus respondit, non esse conditionis tuæ ex conjectura judicare: non debuisse te Auctorem Libri, quamprimum ad salsamentarios deferendi, in tantam aut similem libertatem assurgere: pudendum id tibi, reliquis omnibus intolerabile. Si voluisses, ut par erat, imo & pernecessarium, tantillum laboris impendere percurrendis, in primo Evagrii libro *Cap. decimo*, quatuor dumtaxat lineolis, potuisse te tibi interdicere hoc inepto munere ariolandi divinandique, quo imperitè defungeris: potuisse te ex notissima Historia cognoscere, Chrysaphum peculiarem Flaviani Episcopi Constantinopolitani hostem, technis atque necessitudinibus, queis in Aula Principis admodum poterat, curasse, ut Ephesini Concilii præfectura committeretur Dioscoro. Quid quod Synodum Ephesinam,

C 2 cui

(11) d Cap. Colum. 1. lit. C. *Malis enim artibus, ut credere par est, ab Evazorum Episcopo Olympio nuncupari se Universalem Præsulem & Episcopum in secunda Ephesina Synodo ...... curaverat.*

cui præfuit Dioscorus secundam appellas, cùm prima fuerit, si de actis Ephesi loqueris; si universim de conciliis sermo est, acta post secundam Constantinopolitanam, tertia dici debet.

Negat præterea, Chalcedonensis Synodi Patres potuisse, aut inquirere in scelus vindicatæ sibi à Dioscoro Oecumenicæ Nomenclationis, aut deprehensum hoc scelus dissimulare: palamque constituit, hanc (12) conceptionem verborum tuorum: *re catè dissimulata*, unà cum cæteris, quas non satis catus eructas, esse injuriosam Veritati, quam evertit; Patribus, quos traducit, Apostolicæ Sedi, quam lædit. Negat denique in ulla suæ ad Leonem Epistolæ parte, Theodoretum dixisse, (13) quæ dicis: *Romanum Antistitem numquàm tantam jurisdictionem sumere posse, ut non multo plus ipsi ex præclaro Beatissimi Petri privilegio debeatur.*

Asserit, *nemini novum esse posse*, nam verbis utitur tuis, te uno excepto, spuria (14) esse Acta Concilii Romani sub Sixto III. spuriam ejus epistolam ad

(12) d. Cap. 1. col. 2. lit. A. *à quibus re catè dissimulata, tanquam inani & vacua, ulterius nihil, ut dabimus infrà, de aucupio præmemoratæ pompaticæ & arrogantis Nomenclationis cautum nominatim fuit.*

(13) *Vide hæc verba, eaque confer cum relatis ibi Theodoreti sensibus* in Epist. ad Leon. col. 3. lit. A. B.

(14) d. Cap. 1. col. 3. lit. E. in fine. *Nemini novum esse poterit, Summum Pontificem Sixtum hujus nominis Tertium è Hierosolymitano Throno Polychronium deiiciendo, qui per imprudentiam senectutis, ut legitur in Synodo Romana Anno CCCCXXXIII. ab eodem coacta......*

ad Orientales; spuria ejusdem Acta cum Polychronio Jerosolymitano: atque utile tibi consilium propinat, ut cautiùs & consideratiùs, ne dicam cordatè magis agas, cùm quæ suffercis ubique, hinc exscribis & inde, nulla habita ratione rerum, aut examine scriptorum; ne consulto quidem Cardinale Baronio: qui reipsa multus est, omnemque lapidem movet, ut ea Acta defendat; verùm fatetur tandem invitus, non esse è re ac gloria sua labantem undequaque rerum cæteroqui utilium fidem firmare; relinquere se aliis tutandorum scriptorum hujusmodi decus. Scilicet tibi, Doctor amplissime, hæc provincia, vel Baronio ineluctabilis, servabatur. Eccam opportunitatem pulcherrimam jactandæ eruditionis tuæ, utiliterque exercendi ingenii, quo præcellis omnibus, percellis omnes.

Interim Professor noster auctor tibi est, ut vel semel aliquando legas Epistolam (15) Cælestini ad Venerium Mediolanensem, aliosque Episcopos Galliarum. Id si faxis, sperat, agniturum te tandem, in ea moneri castigarique illos Episcopos, quòd ferrent, imo & faverent iis, qui quasdam Augustini de Prædestinatione & Gratia sententias convellere nitebantur, non tamen ibi Prædestinatiana dogmata falsò D. Augustino tributa

(15) *An non in Prædestinatiana Dogmata falsò attributa D. Augustino Cœlestinus Papa gravem instruxit censuram, eaque Oecumenicæ cœlestis dono potestatis proscripsit? Citata Epist. Cœlest. ad Vener. in Marg.* Col. 4. lit. B.

buta damnari; quippe eam hæresim ætate Cælestini nullam in Galliis fuisse. Censet proinde, te secutum, ut assoles, cæcutientium ritu, lectam alicubi sine nomine (nam hoc adnotasses) Sirmondi sententiam, quam omnes, qui vel summis labiis Historiam Ecclesiasticam delibarunt, erroris apertissimi arguunt.

His addit hæc pauca, quæ, uti submussitat: hæc scribentem tractantemque te scire oportebat, Synodum (16) Ephesinam in Spiritu Sancto congregatam, à Theodosio Imperatore, non à Cælestino Pontifice, indictam congregatamque fuisse: Nusquàm asseri à Cælestino in tota Epistola sua, à se illam coactam fuisse: Eam attamen Oecumenicam fuisse, quòd auctoritate ac suffragio supremo Romani Pontificis fuerit confirmata. Testatur, provocatis ad fidem dicto suo faciendam Superis, Inferis, Medianis, nusquam sibi occurrisse in ulla ejus Epistolæ parte, (17) *jussit* illud mirabile, quo quemadmodum nobis auctores, Cælestinus Ephesinæ Synodo Cyrillum præfecit, ut suo nimirum nomine ibidem præsideret: Quinimò asserit, huic *jussit* tuo obesse multa. Censet Cyrillum subscripsisse se Vice Sanctissimi Papæ Cælestini vi delegationis ipsi peculiariùs collatæ antequàm

(16) d. cap. 1. Col. 4. lit. E. in fine. *Vigilans Cælestinus S. & Oecumenicum Concilium Tertium, Ephesinum nimirum Theodosii Imperatoris ope congregavit.*

(17) d. cap. 1. Col. 5. lit. A. *Eique suo præesse nomine, suaque auctoritate defungi memoratum Cyrillum jussit.*

tequàm Synodus pangeretur in causa Nestorii; non tamen inde putat, legitimè deduci posse, ni cum incuriosè scribentibus, quos exscribis, consentias, præfuisse Cyrillum Concilio vice Romani Pontificis, ut Cælestini legatum. Nam si id, inquit, verum est.; eo absente, præfuissent ac præsedissent Concilio Pontificii Legati: at constat, præfuisse ac presedisse Juvenalem Hierosolymitanum in Quarta & Quinta Sessione, in quibus Cyrillus supplicem egit: ergo, conficit Doctor noster, non præfuit Concilio, ut Romani Legatus Antistitis, quo absente, Juvenalis Pontificiis Legatis præfertur; præsedisseque dicendus est, ut Primus Patriarcharum, qui Synodo coram intererant.

Stomachatus sum, fateor, Amicorum Optime, hanc dicentis castigantisque mira Acroamata tua insolentiam arrogantem ac putidam, palamque pro te clypeum expedivi; nempe ex locupletissimo Libri tui armamentario depromptum. Scilicet rabiosæ nequitiæ hominis quadruplicem auctoritatem objeci Photii, (18) Prosperi, Evagrii, ipsiusque Concilii Ephesini: sed in me, teque ridens ille nasum emunxit, dixitque: te eas integrè mutuatum ex Bellarmino *lib. 1. de Conciliis c. 13.* Certo certius esse affirmavit, iis ad rem tuam confici nihil, monuitque ne tam facilè auctoritatibus per te productis me cicurem ac credulum dedam: jurejurando denique confirmavit, à te eas omnes passim exscribi, nulla in antecaptum

(18) *Citantur* Col. 5. lit. A. B. C.

ptum habita ratione veritatis, nullo rerum examine interposito.

Primùm asserit, nihil aliud ex Photio haberi, quàm Cyrillum ad Synodum Ephesinam profectum implesse Cælestini Romani Pontificis, sedem atque ejusdem personam gessisse. Quæ verba qui ad convocationem Concilii attinent, cùm in iis neque indictum convocatumve jussu Cælestini Concilium Photius doceat, neque aliud quidpiam innuat, unde bella tua consecutione inferas, quod intendis? Deinde ne præfecturam quidem Concilii Cyrillo collatam à Cælestino ea verba significant; Implevit nimirum Cælestini Sedem ac partes Cyrillus in illa Synodo, ejusdemque personam gessit, cùm tanquam Delegatus, vi dati ante concilium mandati in causa Nestorii, curavit, ut sententia Romani Concilii lata contra Nestorium executioni mandaretur: at non gessit personam Cælestini, neque ejus Sedem implevit Cyrillus, ut Legatus ejusdem, vi Legationis cujuspiam, Synodo Ephesinæ præfectus. Hoc, ait ex verbis Photii non colligi; tibique sensa Photii in argumentum assumenti, videndos fuisse Bryennium *Orat. de S. Cyrillo*, Pachymerem *Orat. de S. Flaviano*, Gregoram *Orat.* 3. *contra Palamam*, Planuden *in Myriobiblon. ad Cyrillum*, ex quibus eruditissimi recentiores negant idipsum, quod asseris.

Addit Prosperum, sive is Lucentius fuerit, scribere, te (19) ipso referente, impietati Nestorii opposuisse se industriam Cyrilli & Cælestini aucto-

(19) *Vide ejus verba* Col. 5. lit. B.

auctoritatem; nusquam ab eo dici, Ephesinam Synodum à Cælestino coactam; multòque minus, eidem jussu Cælestini præfuisse Cyrillum. Quod attinet ad Evagrium, ex illo primùm deducit, quod tu vel ignoras, vel catè dissimulas, Ephesinam Synodum ab Imperatore Theodosio fuisse coactam, Nestoriumque acquiescere noluisse iis, quæ ipsi scripserat Cælestinus.

Deinde te admonet: tui muneris fuisse, cùm de præfectura ac legatione Cyrilli tam egregiè acturus esses, ut non sine admonitore sententiam ac verba Evagrii exscriberes. Ait, debuisse te, qui linguam Gallicam percalles, eamque Operi tuo Latino ridiculè ad pompam eruditionis interseris, consulere Clarissimum Virum Cousinum in Admonitione ad Lectores præfixa elegantissimæ Versioni, qua Gallicè reddidit Evagrium. Potuisse te ibi legere, quæ accuratissimè notat Vir æquè Orthodoxus ac doctus, Evagrium à sapientioribus accusari gravissimorum errorum, quos peccat in iis enarrandis, quæ in Ephesina Synodo contigerunt, maximè verò ex eo reprehendi, quod præfecturam ejus Concilii Cyrillo, uti Legato Cælestini Papæ tribuerit. Id quod Cousinus idem ibidem edisserit his verbis quæ latinè damus, ne quis nos tecum derideat: *Constat*, inquit, *damnato Romæ Nestorio, executionem sententiæ in Oriente demandatam fuisse Cyrillo. Incuria multorum Auctorum in secernenda damnatione lata Romæ contra Nestorium ab ea, quæ Ephesi dicta est, in causa fuit, ut falsò putaverint, mandato Pontificis Cælestini factam fuisse potestatem Cyrillo præsidendi auctoritate Vicaria Oecumenicæ Synodo Ephesinæ, quemadmodum eadem*

 illi

illi facta fuerat, ut sententiam Romani Concilii contra Nestorium exequeretur tunc, cùm nondum constabat, utrum cogenda esset Ephesi alia Synodus Generalis. Hæc tibi nota esse debuisse, clamitat Professor noster, ne lapsantis in morem in adductis testibus cespitares. Nam quod ex Epistola Ephesinæ Synodi colligis; planè contemnit; notatque (20) ex ea nihil omninò confici posse, nisi ante coactam Synodum illam, à Cælestino executionem sententiæ latæ in Romano Concilio contra Nestorium Cyrillo fuisse demandatam. Quare hortatur perspicacitatem istam tuam, ut tandem intelligat, Epistolam mandatæ Jurisdictionis Anno trigesimo Quarti sæculi datam esse, cùm anno ejusdem trigesimo primo Synodus Ephesina coacta sit.

Illud etiam miræ memoriæ tuæ commendat, ne fortè in tanta declamandi sartagine obliviscare, Cælestinum ipsum, in sua ad Theodosium Epistola non dicere: *huic Synodo, quam esse jussimus*, sed *huic Synodo, quam esse jussistis, nostram præsentiam in iis, quos misimus, exhibemus*. Quæ verba, si, quo non soles, acumine perpenderis, videbis, quàm ineptè te maceras in utraque assertione tua miserè statuminanda: quippe constat ex illis, Synodum Ephesinam non à Cælestino, sed à Principe jussam; constat etiam, in Synodo Ephesina, non à Cyrillo, qui missus Roma non est, sed à Legatis Roma missis Cælestinum Pontificem fuisse repræsentatum.

His tricis, his sophismatibus, quæ tamen spe-ciem

(20) *Vide ipsa verba Concilii relata sic* Col. 5. lit. C.

ciem rationum ineluctabilem præseferunt, fateor ingenuè, & succubui, & quod reponerem nihil habui. Neque enim ea mihi vis aut ingenii, aut sapientiæ, qua penetralia causæ pervadere queam, remque ipsam accuratissimè pertractare. Id muneris tui, tuæ virtutis eximiæ erit, quæ his studiis innutrita expediet facilè cuncta, eaque prorsus excutiet. Quò pressiùs oro te obtestorque, ac, si fas, flexis etiam genibus obsecro, ut pertinaciam hominis importunam & captiosam contundas, illique ostendas manifestissimè, indictam convocatamque à Cælestino Synodum Ephesinam *Theodosii Imperatoris ope* (21). Sic enim ulcisceris egregiè injurias mihi, tibi contumelias illatas ab hoc arrogantissimo Sciolo.

Is ad hæc te ludos facit, quod plerunque arbitratus magnum quidpiam ac grande momentum addere conditioni causæ, cui patrocinium impendis, auctoritates Synodorum, ut simplices merasque auctoritates Pontificum profers. Eam ob rem quando recitas ipsa Cyrilli verba ad Joannem Antiochenum, in (22) Epilogo, quem præmittis, cùm deberes sententiam contra Nestorium ex ore Synodi Romanæ depromere, ut apertè declarat ipsa Cyrilli Epistola, (23) eam ut judicium unius Pontificis Romani consideras. Ait, neque Oecumenicam potestatem Romanæ

 Sedis,

(21) *Sic* Col. 4. lit. E. in fine.

(22) Col. 5. lit. C. *Suscepto itaque legationis munere Cyrillus, &c.*

(23) *Habetur ibi* Col. 5. lit. D.

Sedis, quam Orthodoxi omnes veneramur, agnoſcimus, prædicamus, egere commentis his frivolis & ineptis, quorum pudere te, oportuit; neque cerbereum Hæreticorum os his furfuraceis offis, quas glomeras, obſtrui poſſe.

Hinc in ſequentibus paginis (24) prolixiſſimi capitis notat, carpit, deridet argumenta futilia, & à longe petita, aliena, & à re tua multis paraſangis peregrinantia epiſodia, digreſſiones inutiles prorſus & inficetas, quas non aptiùs ad propoſitum tuum exiſtimat pertinere, quàm ſpectet ad lyram & citharam aſinus. Diſplicet nimirum homini rixoſo, quod exſcribente te, atque undequaque in unum coacervante ſententias contra neſtorium, ſuſpiciones Joannis Antiocheni, ambitum Juvenalis Hieroſolymitani; omnes ad eam rem illa ætate ſcriptas epiſtolas, nihil caninis ejus dentibus lacerandum objicias. Igitur univerſim te hic damnat ex eo, quòd chartis miſeris non peperceris. Sed oppoſui me, injuſtitiamque criminationis hujuſce ſceleſto Juveni exprobavi, teſtatus hinc vindicias contra libertatem tuam dici iniquiſſimè; nam jus tibi ampliſſimum eſſe ſcribendi quidlibet, implendique vel toto margine paginas, quotquot volueris, quippe ære tuo emptas, quarum ſcilicet typos abundè jam lueris tua, non aliena pecunia.

Conticuit his verbulis meis paulisper coercitus, ac repente tibi gratulari cœpit, quòd tandem aliquando, confirmatis Orthodoxorum animis, acriter

(24) A Col. 10. ad 15. *late*.

ter insurgas in Hæreticos ac Schismaticos, eosque vel invitos eò pertrahas, ut agnoscant, *Ephesinam Synodum nihil declarasse aut sensisse aliud quàm suam omnem auctoritatem sub Romani Pontificis potestate esse, debereque ab ejus nutu pendere*, Asseruit, acumine isto ingenii tui superatos Baronios omnes ac Bellarminos, quibus numquam venit in mentem, tàm validum, tàm robustum, nullisque adversariorum responsionibus expugnabile ex Ephesina Synodo argumentum deducere pro potestate Oecumenica Romani Pontificis. Affirmavit, hoc ex illis unum esse, quæ in Scholis passim mirabilia dicuntur, quòd nullo mentis utcut acutissimæ præjudicio, ne præsagio quidem, aut vaticinio prævideri possit. Væ, inquit, Apostolicæ Sedi, ni Tu ejus custos alter è Cœlo Michael cecidisses, ni Te felicia hæc sæcula ejusdem assertorem Excellentissimum edidissent.

Accensum proinde se tibi dicit in defendendo hoc sanctissimo Dogmate, teque firmiùs profitetur, se credere, omnes Episcopos ac Patriarchas subjectos esse Romanæ sedi, protendi ejus Imperium sacrum, quà sol oritur, occiditque, quà Boreas & Auster oppositis flatibus Orbem Terrarum decussant. At nullus videt, quamvis acutiùs Epidaurio Serpente aciem intendat, quo in loco, qua in parte sua, Dogma hoc aliunde certissimum, Ephesina Synodus declararit.

Ait, somnia tua esse, ac meraca prorsus deliramenta consecutiones illas, quas acroamaticè elicis ex simplici concordia, qua sibi invicem consentaneè decreverunt Ephesina Synodus & Ro-

mana: Nulli dubium esse posse, curatum à Cælestino Pontifice, ut impius Nestorius Solio Byzantino ritè deturbaretur; at nescire se, (25) quænam partes Cælestini fuerint in eligendo Maximiano. Cælestinum quidem ad sedem Apostolicam provocasse, vel certè, ut alii autumant, Sedis Apostolicæ auxilium implorasse; Pelagium (26) neutrum ausum, neque implorasse auxilium, neque appellasse Romanam Sedem.

Jam quod attinet ad Epistolam, quæ ad Demetriadem (27) inscribitur, nosse te vult, eam Hieronymi non esse, esse Pelagii. Hujus translativæ veritatis, notæ lippis & tonsoribus testem locupletissimum esse Augustinum in suo de Gratia Christi libro: posse te, si quando aliàs castigatè volueris scribere, ejus conditionem agnoscere ex Cardinale Norisio in historia Pelagiana *c.15.pag.39.*

Quid? quod ejus quoque te admonet, sententiam adversus Jovinianum, ejusdemque asseclas latam, fuisse Romani (28) Concilii, non solius Siri-

(25) Col. 15. lit. C. *Vidimus de Constantinopolitano Throno Cælestini sententia Nestorium dejectum, & in eodem collocatum Maximianum.*

(26) Col. 16. lit. A. *Itaque amplissimum Oecumenicæ Potestatis privilegium Zosimum Urbis ..... habere aperta professione pariter Cælestinus & Pelagius ad ipsius tribunal provocantes, testati sunt.*

(27) Col. 18. lit. C. *propterea Hieronymus* in Marg. Epist. 8. *ad Demetriadem.*

(28) Col. 18. lit. D. *roborat quidem & Siricii Pontificis condemnatoria sententia in Jovinianum, &c.*

Sicicii Pontificis; confundique à te, ut assoles, nomina facetissimè. Interea autem miratur felicitatem ingenii tui, qua contendis titulis Magistri, (29) Doctoris, Pastoris ac Ostiarii, Oecumenicam potestatem significari.

At cùm gradum facis ad primam Synodum Constantinopolitanam, ejusque examen instituis, testatur ac jurat, non posse se, ut Plautinè dicam, risui suo moderarier. Quippe agnoscit, à te ne lectam quidem Synodum illam, cùm neque (30) intelligas, quis ei præfuerit, neque scias, quis eam coegerit. Primùm igitur, te scire jubet, eam Synodum à Seniore Theodosio fuisse coactam; ita scribere Socratem *lib. 5. cap.* 8. Sozomenum *lib. 7. cap.* 7. Theodoretum *lib. 5. cap. 7.* In ea indicenda cogendaque nullas fuisse partes Pontificis Damasi: id quod docebit te Bellarminus *lib. 1. de Concil. cap.* 19. quem si legeris, occurret ipsissimis oculis tuis manifestissimus error tuus. Nam, ait, Bellarminus clarissimis verbis affirmat, & quidem ex eadem Epistola Theodoreti, à Damaso citatos ad Romanum Concilium Orientales Episcopos: tu ex eadem Epistola doces, à Damaso

(29) Col. 19. lit. A. *Horum splendore nominum Magistri, Doctoris, Pastoris & Janitoris Ovilis Christi, satis, opinor, perspicuè Ambrosium cum Coepiscopis & Sacerdotibus Oecumenicæ potestatis decus in Siricio fulgere, probavisse.*

(30) Col. 19. lit. C. *Quod (Concilium C.P.) de mandato ejusdem Damasi collectum fuisse, Auctor iste testatur. Citato Theodoreto* lib. 5. cap. 9.

Damaſo eoſdem Orientales Epiſcopos ad Concilium Conſtantinopolitanum vocatos. Uter veſtrum peccet, optio Sapientum eſto: interim inſimis precibus agit, ut in utrumlibet conveniatis, ne quod indignum ac probroſum facinus ex hac veſtra diſſenſione naſcatur.

Te præſertim hortarur, ut ejurata erroris tui patentiſſimi noxia, in ſententiam Bellarmini concedas, utque deinceps, ſi ſanus haberi vis, te abſtineas argumentationibus illis neque legitimis, nec niſi ferula in puero caſtigandis, queis ex eo, quod Damaſus repugnavit nefariis Macedonii dogmatibus, perverſiſsimè infers, (31) à Damaſo Synodum Conſtantinopolitanam coactam indictamque.

Huic Synodo à te præfectos ex libito, ad examen vocat; ac ſtatim fidem tibi ſuam obligat, vera eſſe hæc verba Bellarmini loco laudato: *Romanus Pontifex non interfuit Concilio Conſtantinopolitano; nec per ſe, nec per Legatos*: ac proinde ſolum Conſtantinopolitanum Nectarium illi Synodo præfuiſſe. Nec premitur teſtimonio (32) Nili Rhodii, quem adducis, quoque auctore ſeptem ejuſdem Concilii Præſides lepidiſsimè conſtituis. Reſpondet enim, ſe nullum diſcrimen agnoſcere inter nihilum, Nilum tuum, & te; cui tamen libentiſsimè gratulatur, quòd ſimillimum tibi auctorem

(31) *Vide* Col. lit. 19. D. E. & Col. ſeq.

(32) d. Col. 19. lit. E. *Et eidem pariter præfuiſſe (Damaſum) teſtatur Nilus Metropolita Rhodii; corrige Rhodi.*

rem nactus sis, ex Græculorum fæce depromptum, scriptorem XIV. corruptissimi in Græcia sæculi, qui passim in omnibus, at in hoc ipso Commentario de septem Synodis ubique delirat. Quamvis, quod mirum est magis, ab eodem Nilo tuo, imo à te ipso quoque, quin idipsum intelligas, te discedere autumat, cùm tu ipse, per incuriam scribendi, ac loquendi libidinem, fatearis, (33) non Damasum, sed Nectarium Constantinopolitanum præsedisse Byzantino Concilio, dum paulò post ejusdem Synodi verba conglutinas.

Ut porrò Doctor hic noster, raram in te, quamvis Canonum Antecessorem Patavii, imo nullam Synodorum notitiam manifestissimè deprehendit; ita maximoperè veritus, ne hactenus à se producta & locupletissimè confirmata, quò tandem intelligas Synodum Constantinopolitanam I. à Theodosio fuisse coactam, te eò repente rapiant, ut de auctoritate ejus Concilii subdubites, operæ pretium non contemnendum se facturum existimat, si te doceat quædam principia, quæ nota & vulgaria plerisque, tibi uni, ut videris, sunt barbara; teque, si quando ad eadem fortè pertractanda redibis, juvabunt maximè. Eum enim miseret tui, cùm sæpe numero videt, quantum laboris ac sudoris impendas, ut probationes per fas nefasque coacerves, quibus utcunque constituas, omnia, quæcunque unquam fuere Oecumenica Concilia, à Romano Pontifice fuisse coacta.

E Hinc

(33) *Vide verba Synodici* Col. 20. lit. C. D.

Hinc tibi conceptissimis verbis denunciat hanc Thesim verissimam certissimam, & ex regula Orthodoxi Dogmatis esse; non posse Synodum ullam Oecumenicam censeri citra auctoritatem Romani Pontificis: at salva hac Thesi, dividit is Oecumenicas Synodos in duas quasi species, quarum altera sit Synodorum Oecumenicarum vi convocationis, cùm coguntur convocanturque à Romano Pontifice: altera Oecumenicarum vi confirmationis, cùm quantumvis non coactæ à Romano Pontifice, attamen ab ipso confirmatæ sunt. Quamobrem Constantinopolitanum Concilium I. Oecumenicum dicit vi confirmationis quod minimè quidem coactum, at confirmatum fuit à Romano Pontifice. Nec aliter censet Photius tuus, ut ipse mutilè refers, (34) libro de septem Synodis dicens: *quibus haud multò post & Damasus Episcopus Romæ, eadem confirmans atque sentiens, accessit.*

Sperat exinde, fore, ut his axiomatibus eruditus, hisque luminibus, quæ tibi, ut tandem aliquando videas, objicit, instructus, haud deinceps cæcutias, parcasque defatigandis ulteriùs viribus mentis tuæ; nec te opponas tam facilè assertionibus & effatis eorum, quos per te tibi ipsi Magistros adsumis: quosque sæpe turpissimè deseris, ut id operosè sustineas, quod nimis ædepol facilè posuisti, quòque contendis, omnia Concilia Oecumenica indicta, coacta fuisse à Romano Pontifice; nullà habita ratione auctoritatis ac roboris, quod illis quoquo modo coactis peractisque

(34) *Vide* Col. 20. lit. A.

que ex Romani Pontificis auctoritate ac confirmatione supervenit.

Jam & illud ut addiscas, curaturum se spondet, Epistolam à te laudatam Damasi (35) ad Stephanum, quem Mauritani Concilii Patres Archiepiscopum vocant, apocrypham esse. Ut hoc ipsum percipias hæc tibi gratificans adnotat, primùm, Epistolam illam quoddam quasi excerptum esse ex Epistolis Innocentii, Leonis, Anastasii, Sergii, Martini I. aliorumque: deinde datam esse Stilicone Consule, qui non nisi anno decimo sexto à Damasi obitu iniit Consulatum.

Præterea te nosse percupit, Epistolas (36) Liberii ad Athanasium, & Athanasii ad Liberium esse pseudepigraphas, planèque confictas; quippe quæ prorsus alienæ sunt à moribus scriptisque ac temporibus Athanasii & Liberii. Quòd vero certo certius existimat, & penè non juratus affirmat, eas à te neque visas neque lectas; ne de nomine quidem, ni fortè apud eos, ex quibus hæc tua confercis pulmentaria, salutatas, earum tibi perlevem speciem, & characterem depingit. Fingitur in illis Athanasius Liberio scribere, quasi dubitet de ejus fide: quare petit, ut Liberius Arium atque Sabellium diris Ecclesiasticis, hoc est anathemate devoveat, quò sibi tutum sit pa-

(35) *Vide* Col. 21. lit. D.

(36) Col. 22. lit. E. *Equidem existimo id ipsum sine ulla sententiæ varietate S. quoque Athanasium tum ad Decessorem Damasi Felicem II. tum etiam ad Liberium declarasse, &c.*

rere jussibus ejus. Utraque Epistola scribitur quasi quædam Confessio fidei; utraque favet Nestorianis hæresibus; utriusque stylus puerilis & humillimus est: ea verò quæ Liberio tribuitur incipit hoc modo: *Igitur*. Non minora falsitatis indicia præsefert Epistola Athanasii ad Felicem: nam neque Athanasius unquam *communicavit*, ut ajunt, cum illo Pontifice qualiscumque fuit, neque in Epistola hujusmodi stylus est Athanasii: Latino Auctore aliquo ea scripta est, quæ neque Græcè extat, neque à Græcis agnoscitur. Constat effatis atque sententiis Innocentii, Cælestini, Concilii Romani, Adriani. Quid quod cùm Felix, licet innocens, malè tamen inauguratus est Pontifex, Athanasius latebat, ut se Ariano furori subduceret; quare nec Synodum poterat congregare. Quod spectat ad Felicis Epistolam, compacta est Epistolarum Decretalium, quas Isidorus confinxit, fragmentis, sententiis etiam Patrum, qui longo post tempore floruerunt, peccatque gravissimè in Consule, quo data subscribitur.

Hactenùs ad hanc diem ineptiæ Professoris nostri, rimati, quo solet impetu, qua rabie fervet, viginti tres pagiras sive Columnas, ut IC. loquimur, primi capitis Libri tui. His in te tumet, his in te famaque nominis tui præclarissimi genuinum frangit. Ego eas accuratè, quàm potui, diligenterque collegi, ut easdem tibi disertè distinctèque recenserem, ratus quò curiosiùs illatarum tibi mihique injuriarum fueris admonitus, eò acriùs eas te ulturum, effecturumque, ut hinc pro-

profusiùs nominis tui Operisque doctissimi gloria commendetur.

Hic igitur finis esto secundæ hujus Epistolæ, simul nugarum præstigiarumque hujus hominis garruli simul ac lividi. Tuum erit tantam temeritatem, queis solent nates puerorum in Priscianum peccantium, flagris excipere, unàque docere, fabulas ac mendacia esse. Non deero ego in posterum adsumpto muneri: excutiam homini, quà potero, fœtidissimum Notarum suarum pus atque venenum, ejusque tibi violenta consilia passim aperiam: interim ex norma fidei, quam tibi profiteor, te mihi ac Reipublicæ literariæ incolumen opto. Vale.

Romæ. Nonis Martii. Anno MDCCV.

EPISTOLA III.

MEus erga te amor, Excellentissime D. Doctor, tibique sponte obligata fides, me otiosum esse non patitur. Ne tu quidem, si adesses, plus curæ, aut majorem illa posses diligentiam rebus impendere, qua ego Professoris nostri livida ac malè sana consilia vestigo, & ut ita dixerim aucupor, quò præsentiùs Te & præmuniam ad defensionem sapientissimi Operis tui, & ad justissimam ultionem excitem tàm insolentis proterviæ.

Hæc (ut statim Epistola, sepositis officii studiique mei significationibus, id tibi deferat quod

tua

tua intereſt) ferocior in dies adverſus te, nihil non audet. Satis illi ſuperque eſt, ſi in aliqua primi capitis Libri tui parte quidpiam occurrat, quod affirmes, ut è veſtigio inficiationem ſuam, quaſi exceptionem pervempturam aſſertiones tuas, interponat; affirmatque, non aliter tutò poſſe nos in Eccleſiaſtica hiſtoria verſari, quàm ſi quæcunque jacis ad conſtituendam propoſiti tui aliunde certiſſimam veritatem, aut falſa, aut ancipitia, certè dicta præpoſterè reputemus. Scilicet tàm ſiniſtrè, ne dicam peſſimè de te judicat, tàmque iniquam & humilem, ut ſæpe alibi animadverti, de te rebuſque tuis cenſuram inſtituit.

Infinita penè ſunt, quæ in ſcriptis tuis vituperat, eaque, quamvis omnia per me accuratè notentur, non tamen omnia tibi ſcribenda eſſe cenſeo; quippe neque utilitati Reipublicæ literariæ, neque egregiæ dignitati tuæ reſpondentia: quamobrem, juxta debitam Epiſtolæ brevitatem, majora deſcribam, quibus à te jure rejectis, idipſum apud probos & eruditos Viros conſequere, quòd alii etiam minimis profligatis. Neque enim ſi minorum Gentium ſcriptoribus laborandum eſt, ut averruncent vel minima, idem te deceat, qui Doctor Maximus, quippe Anteceſsor Primarius Patavii, de minimis curare non debes.

Doctor igitur noſter, ſi unquam aliàs, nunc certè arrogantiſſimus teſtatur, id ſibi ex officio pietatis ac religionis incumbere, ut à ſacroſanctis Conciliis, ac ſanctiſſimis Patribus amoliatur calumnias tuas. Petit ergo, ut ſignifices, cur, qua ratione, quove argumento Concilium Tyanenſe

Aria-

Arianum (1) appelles, cùm ex Scriptorum omnium testimonio constet, fuisse penitus Orthodoxum? Nam Patres, qui eidem interfuere, frequentissimo suffragio decrevere, ut doctrina de Consubstantialitate Filii inviolabilis sanctaque omnibus haberetur. Ita testatur Sozomenus *lib. 6. cap. 12.* & post hunc ex hoc & aliis, Cardinalis Baronius Anno CCCLXV. *num. 28.*

Petit præterea, atque injuriarum agit tecum, ut indices, quo in loco suæ Epistolæ LXXIV. Basilius asserat, non solùm Arianorum fuisse Tyanense Concilium, sed ab eo Sebastenum Episcopum Eustathium exauctoratum fuisse. Ait, in ea Epistola à se lecta bis, terque, quaterque, nusquam occurrere tale tanti Patris erratum: imo asseri palam ibi ab eodem Basilio, Sebastenum Eustathium à Concilio Melitinensi dejectum.

O' quantam hinc Professor noster in te, quàmque fœtidam commovet Camarinam! Quot in gloriam famamque nominis tui clamoribus debacchatur! Vatiniana contra te provocat Eruditorum omnium

(1) Col. 23. lit. D. E. *Ad eundem quoque Romanum Pontificem provocavit Eustathius Sebastenus Episcopus à Tyanensi Arianorum Concilio, ut narrat S. Basilius* (in marg. Epist. 74.) *depositus, qua relapsum, ut dicebat, Sebastenum Episcopum coercere distulit, donec, quæ Liberio sententia esset, perspectum haberet. A' quo restitutionis Epistolam cùm Sebastenus impetrasset; cerneretque illi minimè convenire à tramite deviare ejusdem, hanc, inquit Basilius, ubi Synodo exhibuit, in suum locum restitutus est.*

omnium odia, vix ut tibi locus perfugii ullus à tanta sævissimæ criminationis procella superfuturus sit, ni acturum quæ scripsisti, vera esse demonstres, evincasque quod mihi jamdudum, ut nosti, penitus persuasi, te Doctorem esse ex ea Sapientum vena, qui obnoxii errori esse non possunt.

Addit, à te ipso, postquàm hæc omnia in Tyanenses Patres construxeras, oblito scilicet sententiæ, quam iniquissimè in illos contorseras, eosdem describi tam obsequiosos erga Romanam Sedem, deditos adeo Liberio Pontifici, ut non audeant in causa Episcopi Sebasteni, quamvis relapsi, quidquam decernere, non expectata receptaque sententia Liberii, cujus literis pro Eustathio scriptis, & ab eodem Eustathio Concilio Tyanensi oblatis, tam pacatè, tam studiosè, tam honorificè Patres illi modestissimi paruere, ut relapsum hominem exauctoratumque & absolverint & in integrum restituerint.

Miratur ergo acumen perspicacissimi ingenii tui, quod rebus sus deque versis, aut perversè distortèque propositis, aut etiam depravatis vitiatisque, mira nobis oracula ostentat, ac penè prodigia Eruditionis Ecclesiasticæ. Hoc, inquit, est ne dissertationem historicam instituere, an delirare?

Optat porrò, ut ipsi simplicissimè, quod nunquam facis, edisseras (2) à quo nam Tribunali, quòve

(2) Col. 25. lit. A. B. *Etenim Athanasius Alexandrinus &c. animadvertentes tuta omnia & pacata suarum*

quove judicio, aut sententia Magnus Athanasius ad Sedem Apostolicam provocavit? Nam provocatione duos terminos significari, *à quo*, uti dicunt, & *ad quem*, plusquàm notissimum tibi esse, nullus dubitat, qui novit quanta scribas in Jure, quàm sæpè in hac nostra Curia reprobata. Ede igitur, à quo Athanasius provocaverit?

Nosse se quidem fatetur, imploratum Sedis Romanæ præsidium ab Athanasio, cùm furentibus Arianorum insidiis vehementissimè vexabatur; coactam, petentibus Eusebianis ipsis Athanasii hostibus, Romanam Synodum, in qua cùm Adversarii, objecto plurimum difficultatum colore, minimè comparuissent, in Communionem Ecclesiasticam Athanasius à Julio receptus est: Julium Pontificem, atque ipsum Athanasium dissertissimè asserere, nihil, præter concessam Athanasio Communionem, in ea Synodo fuisse statutum; neque actum de ejus restitutione: Quin imo ne ipsos quidem Eusebianos de alio questos, quàm de Communione Athanasio concessa. Quo fit, ut non intelligat, quas implices strophas, in quas te conjicias tricas, negotia plurima, quæ tibi ac Lectori misero facis.

Meminisse te jubet, Epistolam (3) Ægyptiorum

F

rum Ecclesiarum Jura Julii Sanctissimi Papæ auctoritate, retineri posse, sine ulla causa ab Eusebianis damnati, ad ejus confugerunt judicium, supremique Tribunalis appellarunt audientiam.

(3) *Vide* Colum. 25. lit. E. *ubi ex his Epist. declamat.*

rum Antiſtitum ad Marcum Pontificem, Apocrypham eſſe ; quemadmodum Apocrypha eſt ejuſdem Marci ad eos Epiſcopos jactata Reſponſio : & ne tibi excidat veritatis hujuſce memoria, eam pluribus tibi, ſi pateris, probat. Nam primò, ait, Auctor Epiſtolæ ad Marcum ærumnas enumerat ac vexationes acerrimas quibus conflictatus eſt Athanaſius ſub Liberio Anno CCCLV. qui nimirum duodevigeſimus eſt ab Obitu Marci: deinde epiſtola illa conſtat locis Scriptorum, qui poſt Athanaſium floruere, puta Leonis, Attici, Cyrilli, Cæleſtini. Præterea eadem Epiſtola octoginta Nicænæ Synodi Canones comminiſcitur, quorum quadraginta docet Græcè, totidem latinè (peccavi Doctor ampliſſimè in cœlum & coram te, quòd Græciam Latio præpoſui ſcribens: parce, precor, crimini inconſultè patrato; neque me, hoc nomine, apud Quæſitores Sacros accuſa; nam & idipſum peccat hæc tibi germaniſſima ad Marcum Epiſtola) Latinè, totidem Græcè conſcriptos; quos tamen, ne putes, ad octoginta quatuor Editionis tuæ Arabicæ pertinere, idem Auctor ad ſeptuaginta redactos affirmat, ut tot eſsent, quot Chriſti diſcipuli, quot linguæ in Orbe Terrarum.

Jam ejus Epiſtolæ ſtylus, inquit, longè diverſus eſt ab Athanaſii charactere, Græci nihil habet aut ſubolet, planèque latinum hominem auctorem oſtentat. Adſumitur ibi palam, eam Epiſtolam ſcriptam fuiſſe Anno CCCXXXVI. quo tempore Athanaſius in Gallia morabatur, atque adeo, Alexandriæ dare literas minimè poterat.

Deni-

Denique Epiſtola illa datur Alexandriæ relati proximè Anni menſe poſtremo, nempe Kal. Decembribus; at Marcus inter mortales eſſe deſierat circa Kal. Novemb. ejuſdem Anni.

Eadem contra Reſponſionem à Marco datam falſitatis atque mendacii argumenta militare jurat Doctor hic noſter, ac proinde ut Pſeudepigrapham ſpuriamque rejicit ex eo maximè, quod palam appareat poſt menſem integrum ab obitu Marci conſcripta. Mox audet, quamvis Canoniſta merus, quemadmodum tute ipſe cenſeris, barbaram ſibi tibique Dialecticam in te provocare; atque hunc in modum te Dilemmatis tranſlativi cornibus impetit: Vel Patavinus Anteceſſor duas has Epiſtolas legit, vel non legit: Si legit, qui tot ineptias, tot mendacia, tot inter ſe pugnantia non vidit? Si non legit: qua fronte illas ad teſtimonium non ſine pompa faſtuque producit?

Reſpondi protinùs, ac ſperavi fore, ut mea reſponſione perculſus obmuteſceret, te addictiſſimum Baronio, ejuſdemque Annalium ſtudioſiſſimum, non ſine tanti Magiſtri conſilio has Epiſtolas ad propoſiti tui probationem contuliſſe; parcendumque tibi diſcipulo, ſi tanto duce quidpiam in hiſtoriam peccaſſes. Sed exprobravit mihi facilitatem meam ſtupidam & abſurdam in excuſandis turpiſsimis erratis tuis, productiſque Baronianianis Annalibus oſtendit, Baronium Anno CCCXXXVI. *num.* 59. *&* 60. illis Epiſtolis Apocrypharum notam inurere, ipſarumque Scriptori Stellionatus crimen objicere.

Jam quod attinet ad examen Nicænæ Synodi I. Professor noster pluribus actionibus non ex Albo Prætoris, sed ex notitia certa Conciliorum & Canonum petitis, te convenit. Nosse te in primis desiderat, à Constantino Imperatore eam Synodum fuisse coactam convocatamque, adstipularique huic notissimæ veritati communi suffragio priscos Scriptores omnes. Si vis vel leviter causas agnoscere, ob quas prima illa Concilia Generalia ab Imperatoribus cogebantur, non plus tibi laborandum esse, quàm ut, perfunctoriè licèt, percurras in Cardinali Bellarmino *cap. 13. lib. 1. de Concil.* Esse te sanè Doctorem Professoremque & Antecessorem Legum & Canonum Primarium, nec tamen legisse, vidisse, perpendisse *lib. 1. ff. de Colleg. illicit. lib. Conventicula Cod. de Episc. & Cler.* neque inde facili consecutione deduxisse, quod peritissimi Criticorum cum Bellarmino ibidem ad hanc ipsam rem colligunt.

His addit verba à te producta (5) ex Actione 13. atque Oratione Prosphonetica, non esse Synodi ipsius, sed ejus, qui Orationem illam recitavit in Synodo. Alexandrinum (6) Martyrologium tuum nullius esse auctoritatis, quippe quod mani-

(4) Col. 26. lit. E. *Silvester Papa Sanctissimus omnium primus Romanorum Pontificum omnium primus Oecumenicum congregaret Concilium, &c.*

(5) Col. 27. lit. A. *Hinc, ut proximè dedimus, sexta Synodus, &c.*

(6) Col. 27. lit. A. *Et nihilominùs in Alexandrina Ecclesiæ Martyrologio legitur.*

manifestissimè peccat in Chronologiam & Historiam. Epistolas (7) Nicænæ Synodi ad Silvestrum Pontificem, & Sivestri ad Synodum esse suppositi tias. Atque ut hoc tibi persuadeat fortè tibi uni mirum, more suo, hoc tibi ex eo probat, quòd stylus ibi barbarus est, & perobscurus; quod Epistola Synodi constat periodis nihil omninò significantibus; quòd tempus ibi ridiculè prorsus & ineptè signatur; appellanturque Consules *Summi*, quo epitheto appellatos Consules nusquam invenies: quin & Epistola datur quinto vel sexto ab incepta Synodo die: quòd Silvestri responsio falsa itidem sit, quippe quæ eodem utitur stylo, quo suppositiria Synodi syngrapha; quòd auctor imperitus adsumit, à Silvestro aliquid Nicænæ Synodo additum; memoratque Cyclum Victorini auctoris, qui longè post tempora Silvestri & vixit, & floruit, & scripsit. Hæc si tibi non supersunt falsitatis indicia, occaluisse tibi cerebrum doctor noster affirmat, ne tot ineptias intelligas; deesse tibi cor, asserit, qui tantam væcordiam non sentias.

Addit, Romanum Concilium, (8) quod actum refers sub Silvestro Pontifice, fictum, falsum, suppositiium esse; idque notissimis, at & validissimis argumentis constituit: Nam vel una ejus Concilii vulgaris inscriptio fraudem ejus indigitat. Dicitur ibi Romæ coram Constantino Principe

(7) *Vide eandem* Col. 27. lit. D. E.

(8) Col. 27. lit. E. *Annuens idcircò Pontifex confirmationis hac formula in Romana Synodo usus, magno huic negotio finem imposuit.*

dis referendisque, quippe notissimis, supersedeo; illud tantum te monebo peramicè, ac familiariter, speraffe me, quando copia librorum non suppetit, penes Cabassutium in Notitia Conciliorum aliquid deprehendere, quo tibi adversus Professoris nostri accusationes manifestas, suppetias ferrem. Ad eum igitur auctorem curriculo confugi: sed perculit me, planèque stipitem fecit, truncoque simillimum Hermæ, cùm lectus hæc reddidit in Notitia Sæculi V. *pag.* mihi 123. *colum.* 1. ante medium: *Duo insequentia Concilia Romana sub Silvestro, multas præseferunt inanitates, & suppositionis adulterinæ notas; nec altiore, quàm Isidori Mercatoris auctoritate nituntur, qui circa Christi Annum DCXIX. suas propalabat merces.*

Sic ego nihil habui, quod reponerem. Tu tamen, qui locupletiore, sicut arbitror, uteris Bibliotheca; quique ad exantlandum illustrissimum Opus tuum optimorum tota Europa Codicum pulverem, situm, ac tineas excussisti, ut certissimè novi; non solùm ad hominem respondebis, procacissimo Professori, sed & castigabis Cabassutium privatæ fortunæ hominem, nec ex conditione Sanctorum Patrum, quos, ut mihi credere par est, diurna nocturnaque manu versas ac teris.

Intereà, Doctor noster quid de Octoginta quatuor Canonibus Editionis (9) Arabicæ, quos ostentas, censeat, audi. Hos vel leviter ad trutinam revocatos festivè deridet. Ait, eos nulla ratione

---

(9) *Vide quæ latè ex his Canonibus profert* Col. 28. lit. E. & Col. 29. lit. A. B.

ratione Nicænæ Synodo I. tribui posse ; atque hunc in modum captiosè, ut existimo, ratiocinatur : Theodoretus atque Rufinus nonnisi Canonum viginti meminere ; quòd si Rufinus ex libito viginti duos recensuit, is bifariam secat sextum & octavum, ut eum numerum teneat. Episcopi Africani non nisi viginti Nicænos Canones repererunt, post adhibitam omnem diligentiam in iisdem recensendis, totoque Oriente deprehendendis. Dionysius Exiguus, omnesque alii quotquot Sylloges Canonum compegere, non nisi Canones viginti unquam, aut usquam agnovere. Unde sic conficit Doctor noster : Ergo Antecessor Canonum Primarius Patavii, lecto prius, ac bene, si fas, intellecto Cabassutio in Notitia Sæculi IV. Diatriba de numero Canonum Nicænorum *nu.* 8. *& seqq.* sibi cum Echellensi Maronita habeat suos hos Canones Arabicos octoginta quatuor, clusosque centum clavibus in sua Bibliotheca custodiat sibi, quippe nulli unquam proposito confirmando profuturos, cùm pari suffragio à Græca & Latina Ecclesia (en iterum hæreticus ex lapsu calami dicar : parce, precor, parce ; si libuerit, hecatombe piaculari contractum vel inconsultè scelus expiaturo) à latina simul ac Græca Ecclesia reprobentur.

Neque enim, inquit Doctor noster, quidquam Antecessor Archilycæi Patavini, pro his Canonibus suis adstruit, obvia illa proponens (10) qui-

(10) Col. 28. lit. D. *Et revera Pontifices & Concilia, & Pa-*

quibus videtur constitui, ultra receptos viginti à Sanctis Patribus, plures alios fuisse laudatos: has offas mucidas olim Eruditio castigatior concoxit; poteratque Antecessor, si minus alios, certè obvium omnibus Cabassutium consulere de his aptè differentem, citata Diatriba de numero Canonum Nicænorum, in Notitia Sæculi IV. *pag.* 119. *& seqq. num.* 11. *& seqq.*

Addit, si Theodoretus (11) non nisi viginti Canones profert, non posse te, si sanus es, conjicere, aut sapienter colligere, respexisse eum supposititium Canonem septuagesimum primum Nicænum, cùm refert canonum decreta, juxta quæ Julius Pontifex tum Athanasium, tum adversarios ejus Romam venire jussit: Quid enim respexerit Theodoretus, quod nusquam fuit, quodque nusquam fuisse, relatis viginti dumtaxat Canonibus Nicænis, nullus dubitavit?

Jam Professor noster, his etiam omissis, gradum facit, ad examen facti clarissimi, ex quo Aurelianum Imperatorem perstringis. Ait autem, numquam sibi in animum inducere potuisse, te, qui Historicus ineptissimus es, poetam esse tam excellentem ac fortunatum, in cujus nimiumore

G tam

& Patres canones aliquot Nicænos laudant, quos sine dubitatione de eorum, qui extant, numero non esse constat.

(11) Col. 29. lit. E. *Propterea Canonis hujusce (Septuagesimi primi Editionis Arabicæ) definitionem respiciens Theodoretus &c.*

tam facilè, quavis fabula fabulosior Veritas ipsa mentitur. Negat Aurelianum (12) à Paulo Samosateno infatuatum fuisse; potiùs potuisse te dicere, à Paulo infatuatam Zenobiam Palmirenorum Reginam, cujus patrocinio fultus Samosatenus, ut loqueris, *æstuans ac tergiversans, judicatum non fecit*, elusitque judicium Antiocheni Concilii, à quo fuerat exauctoratus.

Negat, Paulum provocasse ad Aurelianum, cujus tamen auxilium imploravere Antistites Orthodoxi, quo scilicet ab ædibus Antiochenæ Ecclesiæ Paulus Hæresiarches deturbaretur, qui, quòd familiaris Zenobiæ, non admodum gratus esset Romanis. Vide Cabassutium in historica Synopsi Tertii sæculi *num.* 22. Negat, auxilium hoc à Patribus imploratum, iniquissimum dici posse, quippe interpositum ab Orthodoxis Episcopis, atque eò interpositum, ut repelleretur Hæreticus, utque sententia Orthodoxi Concilii, quemadmodum par erat, executionem nancisceretur.

Ait, te potiùs fatuum esse, (parce verbulo, nam aliena tibi, tui causa denuncio) cùm fatuum Aurelianum appellas, qui nimirum ex justitiæ norma ædes Antiochenæ Ecclesiæ illi ex duobus Episcopis addixit, qui cum Romano, cæterisque

Ita-

(12) Col. 30. lit. C. *Cùm enim minimè dubiam Pauli Samosateni perfidiam cognovissent, ac judicassent ejusdem regionis Episcopi; ille verò judicatum, æstuans ac tergiversans, non faceret, sed Aurelianum Imperatorem infatuaret, ut quod nunquam antea factum erat, iniquissimæ ipsius deferret appellationi.*

Italiæ Præsulibus literarum haberet commercium. Hinc tibi utile ac necessarium iterum consilium dat, ut quod hactenùs per incuriam & imperitiam neglexisti, satagas Pythagoræi dicti, quo mandere salivam juberis, quam expuis, hoc est iterum iterumque tecum ipse constituas, quod dicturus scripturusve es: legas in primis in ipsis, unde producuntur, autographis, quæ hinc & inde raptim exscribis. Nam si vel semel vidisses Eusebium *lib. 7. cap. 30.* unaque notas *V. C.* Valesii, aut saltem Historiam Ecclesiasticam Abbatis Fleury *tom. 2. lib. 8.* non tot tribus in lineis absurda coacervasses.

Subdit, tibi non fuisse satis, quod infatuatum edixeris Aurelianum Imperatorem Ecclesiæ hostem sævissimum, quin idipsum unà per verborum Strophas, ac malè tornatas circumlocutiones asfereres (13) de Constantino Christianissimo Imperatore, ac de Christiana Religione optimè me-

 rito;

(13) Col. 30. lit. D. E. *Hujus exemplum (Pauli Samosateni) imitari sibi proposuerunt Donatistæ. Et revera Constantinus Aureliani vestigiis insistens propositæ provocationi audientiam haud denegare constituit. Qui quidem cognoscendæ causæ gratia tres Gallicanæ Ecclesiæ Episcopos delegavit. Ast cùm genus hominum & libidinem novisset, suumque revocasset Augustus animum ad consuetudinis & Ecclesiæ sanctionum notitiam, quas hunc in modum à se violari maximo cum dispendio æternæ salutis suæ deprehendebat, Donatistarum arrogantiam in earundem proterenda & conculcanda religione, ac auctoritate coercuit, rescribens, &c.*

rito; quem itidem clam à Donatiſtis infatuatum affirmas. Ne autem ipſi ex tuis hæc ſcriptis colligenti mendacii dicam inſcribas, ſic tricas retexit tuas, atque hunc in modum argumentationem inſtituit:

Canonum Anteceſſor Patavii dicit; Paulus Samoſatenus Aurelianum Imperatorem infatuavit: mox ſubdit Donatiſtas imitatos Paulum, imitatumque Conſtantinum acta Aureliani: ergo Donatiſtæ infatuavere Conſtantinum Imperatorem. Extrica te hoc nodo, ſi libet; atque interim preces Profeſſoris noſtri æquus ac bonus admitte, quibus ſuppliciter agit, ut quemadmodum eruditiſſimo, ita & benigno utare calamo erga Concilia, Patres, ac Cæſares, queis precatur, ut liceat illæſis indemnatiſque apud te hoſpitari.

Poſſe te, eo libentiùs æquiùſque id Conſtantino concedere, quòd in facto Donatiſtarum nullum ejus delictum, nullus error appareat: quinimò ob id ipſum ejuſdem pietas ac religionis enixiſſimum ſtudium ab omnibus Scriptoribus commendetur. Scilicet quoniam in re Eccleſiaſtica ſententiam dicere noluit, dedit Epiſcopos Galliarum tres, qui unà cum Melchiade Romano Pontifice & Marco Presbytero ejuſdem Eccleſiæ, ut notat Valeſius in Euſebium, in ea cauſa judicarent: & vide Cabaſſutium in hiſtorica Synopſi Sæculi IV. *num.* 8. Audi, ſi libet, teſtem omni exceptione majorem Auguſtinum Epiſtola 162. quam tu ipſe producis, ſed, ut cenſet Profeſſor noſter, neque vidiſti, neque legiſti: *Sed quia*, inquit, *Conſtantinus non eſt auſus de cauſa Epiſcopi judicare, eam diſcu-*

sentiendam atque definiendam Episcopis delegavit : quod & factum est in Urbe Roma , præsidente Melchiade Episcopo illius Ecclesiæ cum multis Collegis , &c.

Hinc Professor, qui te dedolat tam acerbè, infert, imagines Somnorinas, ex Varrone, affari te, cùm dicis, Constantinum tres Galliarum Episcopos solos in causa Donatistarum dedisse judices primùm, mox revocato ad consuetudines & Ecclesiæ sanctionum memoriam animo; agnitaque noxia sua, atque inde perspecto suæ salutis æternæ dispendio rescripsisse : *hoc controversiarum genus, in solius Romanæ Sedis judicio ac potestate versari oportere*.

Subdit, multò te certiùs, firmiusque multò se credere ac palam fateri, prædicare etiam, prædicaturumque donec vita supererit, veritatem hujus à te propositæ ac constitutæ Thesis: at præter te unum neminem hactenus invenisse qui eam Thesim, rescriptum illud aut ori aut calamo Constantini tribuerit. Quamobrem jubet te legere totam Constantini ad Melchiadem Epistolam relatam ab Eusebio *lib.* 10. *cap.* 5. notisque uberrimis à sapientissimo Valesio illustratam; quò tandem intelligas, nullum usquam occurrere indicium in Constantino aut erroris, aut pœnitentiæ, aut rescripti ejus, quod confidentissimè somnias.

Tu, quid his respondendum sit, noveris; & respondebis, si te novi plenissimè & ad satietatem votorum, quæ pro te sæpe concipio, ut aliquando Professoris nostri audacia secum habitet; norit quoque quàm sit sibi curta supellex. Vix enim explicari satis potest, quàm immanè tumeat turgeatque, quod tot errata, tam palmares ineptias

ptias in tam paucis Operis tui lineolis deprehenderit. His penitus, se judice, profligatis, porro pergit ad examen Epistolarum (14) quinque, Quinque itidem Romanorum Pontificum Eusebii, Marcelli, Eutychiani, Dionysii, ac Sixti II. quarum auctoritate ac fide multa conglutinas. More autem perverso, ac suo, tibi sciendum denunciat, eas apocryphas esse; nec pluribus id probat; quippe censet universim atque communiter apud Eruditos in Ecclesiastica Historia obtinere, non potuisse eas Epistolas à Pontificibus, quibus vulgò tribuuntur, conscribi; esse ibi multa absona temporibus eorumdem Pontificum; haberi quamplurima palam decerpta ex SS. Patribus ac Pontificibus, qui postea floruere, ex Conciliis etiam ad posteriora longe tempora pertinentibus.

Non potui hoc in loco, si credis, Professor optime, non indignari, non intus in penetralibus animi mei graviter irasci tantæ tripalmaris homuncionis audaciæ, qui vix admotus Sacris Romanæ Palladis, eam frontem induisset, qua uno quasi impetu quinas excuteret ac reprobaret quinque Romanorum Pontificum Decretales Epistolas, quas tu tantus, tam longus, tam gravis Canonum Sacrorum Antecessor, tam constanter confidenterque retuleras, & ut faciundæ fidei ac testimonio dicundo idoneas approbaras. Mei proinde muneris, mei etiam officii esse duxi, & illum

ex

(14) *De his vide, quæ profert ad probationem propositi sui* Col. 31. lit. B. C. D. E. & Col. 32. lit. D. E.

ex assertionis suæ protervia castigare, & te laudare ex merito prudentiæ tuæ. Utrumque præstiti summa usûs dexteritate, ea nimirum, qua mihi expectoratæ indolis juveni meum ingerit erga te studium, eò efficaciùs, quò callidiùs à me dissimulatur, quippe verito ne suspectus homini evadam, eòque, tum opportunitate favendi tibi, qua maximè glorior, tum potestate te admonendi tibi commodissima prorsus excidam.

Ea propter ironicè, at palam in speciem incuriosè, quid, inquam, siquis dixerit, ea loca, quæ Patres ævi posterioris habent, ex Epistolis illis decerpta? Meminisse nos decet, Patres illos atque Pontifices, illa quoque concilia, quinarum Epistolarum illarum auctoritatibus & effatis, locis etiam integris, uti potuisse, cùm scriberent, cùm dissererent, cùm Canones conderent. Sic ego; sed revera oleum & operam perdidi. Nam è vestigio profusissimè ridens, ut solet, respondit: navigandum tibi ad Anticyram protinus, si quid simile hiscere audeas: esse enim manifestissimum, non potuisse sequiorum temporum Scriptores ea loca, ex quinis illis antiquioribus Epistolis ulla ratione decerpere; esse omnino incredibile, tot Scriptores egregios plagiarios fuisse, usos nimirum aliena supellectile, locis integris Epistolarum illarum, quarum nusquam meminissent: Ea loca prolixissima esse, atque adeo nullo modo posse videri excerpta ex illis Epistolis; Stylum in prolixissimis illis locis illum ipsum esse, qui legitur in posterioris ævi scriptoribus, nec posse sanum hominem sibi persuadere, priscos illos Pontifices

tifices ſequi potuiſse characteres Orationis tam varios.

Subdidit, loca illa quinarum Epiſtolarum eſse quædam quaſi membra à ſuo ipſorum corpore violenter avulſa; loca illa eſse extra locum ſuum: proinde quemlibet uſus vulgaris ac mediocris intelligentiæ hominem, poſse ſtatim deprehendere, ea intruſa, adſciticia, aſsuta eſse reliquis, quæ habentur in illis Epiſtolis; cùm contra in libris, epiſtolis, & canonibus poſteriorum Patrum, Pontificum, Conciliorum, è quorum ſcriptis in has Epiſtolas tranſlata ſunt, quaſi in nativo corpore ſitu ac loco reſideant.

His ac ſimilibus rationibus Profeſsor noſter inficiationem ſuam, qua productas à te Epiſtolas quinque Pontificum rejicit, probare atque conſtituere conatus eſt. Quibus non placuit ulteriùs me opponere, ne me addictiſſimum tibi homo inurbanus æquè ac vafer agnoſceret. Ergo tuæ gloriæ fuerit in has ipſas rationes inſurgere, earundemque infirmitatem miſeram quaſi digito demonſtrare. Nam ego hìc finem Epiſtolæ faciam, ne prolixiùs, quàm par eſt, literas producam, quas non ſine rerum perturbatione prolixiſſimas facerem, ſi nuntiandæ eſsent animadverſiones quamplurimæ, quas Doctor noſter inſtituit, dum factum Cypriani Carthaginenſis expendit, teque in multis ex more coarguit.

Tu quid interim cenſes de hoc Critico noſtro, qui ſibi jampridem Ariſtoteles aliquis, aut Plato, ſive potiùs Cato tertius è Cœlo defluxiſse videtur; is nimirum, cui fas fuerit te talem, tan-

tum-

rumque in tot angustias redigere, teque tam facilè, licèt Professorem Maximum, de tot ineptiis, erratis, ac somniis postulare? Monstrandum se deinceps digito prætereuntium existimat, quasi unum aliquem Aristarchum; nec videt, tecum illi rem esse, qui facili negotio hominem ad incitas rediges: scilicet ut agnoscat aliquando, tot notis, tot argutiis, tot insulsis obtrectationibus adsumi multa, probari nihil. Igitur, quod fortunent Superi, Doctor amplissime, hoc age. En Rhodos, en saltus Qui Orthodoxos perdoces, qui profligas Hæreticos, clavam expedi Responsionis herculeæ, atque uno ictu Pumilionem hunc contere. Si hoc etiam nimium gravitati ac benignitati tuæ videbitur; at saltem undulata isthac veste, qua personas, te meque ab importunitate morosissimi hominis protege. Tunc ego faciam palam, quod clam hodie hac epistola facio, dum absens licèt, quasi præsens, dexteram tuam venerabundus exosculor. Vale.

Romæ Kal. Aprilis MDCCV.

EPISTOLA IV.

EX veteri adagio, Excellentissime D. Doctor, sine musca mel nullum: boni igitur consule, ac teipsum sustine, si quem vides obtrectantem insidiantemque gloriæ, quæ tibi ex eo provenit locupletissimè, quod Auctor sis libri in folio. Neque enim patienter invidi ferunt, hunc à Sapientioribus expeti, ab Orthodoxis ut Clypeum Oecumenicæ potestatis ac No-

 men-

menclationis haberi, timeri ab Hæreticis & Schifmaticis, ut gladium; quo ipforum jugulum certifsimè petis. Quid tibi obfuerunt tanta Adverriorum tuorum molimina? Ut gyganteo aufu montes montibus aggerent, unde celfifsimum Sapientiæ tuæ cacumen aggrediantur: Juppiter es, teloque tricufpide dejicies infelicem temeritatem. Quantumvis blaterent, qui tua contemnunt; crede mihi ranæ funt, te tonante, aut feriphias imitatæ tacebunt, aut fabulam Æfopi fecutæ difrumpentur.

Et difrumpitur medius fidius Doctor nofter, cùm de te pejora femper in dies non fine cachinno & fcribit & loquitur. Sardonicus is rifus eft, quo mira Axiomata tua excipit: intus in corde livorem Phalaride deteriorem tyrannum habet, eoque præfentifsimè plectitur; nec fremitu belluino, quo in præftantifsimi Operis tui decus iniquè bacchatur, doctorum hominum tua laudantium, tua expetentium, tua mirantium plaufus difcutit, quibus vel invitus obtunditur.

Sed hæc, qua Sapientia, prudentiaque es, tute ipfe nofti: addam, quæ per me te fcire, tua intereft; nimirum quæ Operis tui examen profecuti hoftes tui tibi rurfus objiciunt. Nulla in primis requies Profefsori noftro eft; dum tua rimatur: querelis compita publicitus implet, privatim Eruditorum aures accufationibus onerat; exclamatque Stertorem imitatus, te ignorantiffimum efse, nec fatis callidè callidum, qui, ut veritatem perturbes, utque magnorum nominum, Patrum fcilicet ac Synodorum majeftate atque gloria infirmas,

mas, mancas, pueriles argutias tuas occultes, finiſtritate perpetua res, Textus, verba confundis.

Ait, plerunque te ſcribentem dolosis ambagibus uti; unde ipſi labor intolerabilis, dum à te perturbata concinnat, confuſa digerit; ordinem aliquem init, ut inde, ſin minus conjectura aſſequi, at ſaltem poſsit, quid velis, quid probes, nihilum illud, quod laboriosè conſtituis, ariolari. Uno verbo deſcribit te ut expictorem aliquem ſatis rudem, & ex iis unum, qui cùm neſciant, quid ars ferat, quò penicilli ſint facti, quis coloribus uſus; his omnibus imitantur imagines magis abſurdas diſtortaſque, quid expingant, quid imitentur ignari.

Hæc ille, quibus tu parcito: livor, ut ſæpe dixi, hominem continenter exagitat, cogitque ſplendorem luminis inacceſsi, quo nobiliſsimum Opus tuum perfundis, iis oculis intueri, quibus veſpertiliones ſolem. Ergo, ut libuerit, eum ſuæ inſaniæ permittito, ſinito crocitare non oſcinem corvum ad ravim; atque interim utere his, quæ tibi nuncio, ut imbrem colligas ac tempeſtatem, quam in corvum hunc non niſi diluvie reſponſionis tuæ obruendum, effundas.

Significabam, poſtrema, quam ad te dedi, Epiſtola, inſtitutum examen à Doctore noſtro in aſſertionem tuam atque ſententiam circa Cypriani Carthaginenſis Epiſcopi factum. In eo ſtatim te obſecrat obteſtaturque te per ſanctiſsimam iſtam ſimplicitatem tuam, ut edas locum, auctorem des, cujus vadimonio tutus pronuncias, Cyprianum,

H 2 cogni-

cognito errore suo circa iterationem Baptismi collati ab Hæreticis, demum, ut loqueris. (1) duxisse obtemperandum esse *consuetudini*, *& traditioni Ecclesiæ*, *cùm antea repugnasset non cupiditate voluntatis* (ò phrasim auream, & novitate tua dignam!) *sed quod ita intelligeret*. Nulla ratione sibi persuadere potest, te ad tutandam sententiam tuam uti voluisse testimonio Augustini *lib. de Unico Bapt. cap.* 14. quod (2) laudas: nam eo testimonio nihil aliud innui certum est, nisi constantiam Cypriani, vel posito circa Baptismum jurgio, in retinenda firmiter unitate servandoque fœdere cum Romana Ecclesia.

Et ne qua tibi dubitatio subrepat ex hoc suo effato, quippe per æmulum interposito, obsecrat itidem te Doctor noster, ut ejusdem Augustini scriptam ad Vincentium Donatistam Epistolam legas, in qua doctissimè disserit de Cypriani errore; videbisque, si oculos habes, hæc verba: *correxisse istam sententiam non invenitur*. Hinc, utinam, inquit, Magnus Augustinus hoc sæculo viveret, quod, si fas dicere, tanti Viri ignorantiæ te Magno illo Majorem opponit, eruditissimum Opus tuum summum inter Christianos ingenium illuminas-

(1) Col. 34. Cap. 1. lit. D.

(2) Col. 34. lit. C. *ubi habet hic Augustini verba ex libro relato. Cùm ergo Stephanus non solum non rebaptizaret hæreticos, verum etiam hoc facientes, vel ut fieret decernentes excommunicandos esse censeret, sicut aliorum Episcoporum, & ipsius Cypriani literæ ostendunt, tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permansit.*

naſſet, Doctoremque Eccleſiæ maximum id docuiſſet, quod neſciebat; quod tamen optabat, ſibique, quamvis nullo ad ea tempora auctore conſtitutum, tamen veroſimile ominabatur, Cyprianum videlicet, non niſi depoſito falſo, quod conceperat, decreverat ac defenderat, dogmate, vitam pro Chriſto ac ſanguinem poſuiſſe.

Negat, à Cypriano librum de Unitate Eccleſiæ conſcriptum poſt altercationes circa Baptiſmum cum Stephano Pontifice (3) habitas. Nam communis, ait, Eruditæ familiæ ſententia eſt, cum librum fuiſſe editum circa Annum Chriſti CCLI. Concilium verò Carthaginenſe Anno CCLVI. celebratum, poſt quem, anno CCLVII. Valeriani adverſus Chriſtianos edicta finem impoſuere diſputationibus Cyprianum inter ac Stephanum, Stephano Martyrium paſſo eo ipſo anno poſtridie Calendas Auguſti, quarum pridie anno eodem Cypriano Paternus Proconſul ad Curubam addixit exilio.

Negat, à Cypriano librum eundem de Unitate Eccleſiæ contra eos ſcriptum, qui luſtratorum ab Hæreticis iterandum Baptiſmum cenſebant, aut contra oppugnantes, ut ſomnias, Romanæ Sedis Oecumenicam poteſtatem; aſſeritque contra Novatianos conſcriptum. Simul te ſcire jubet,

(3) Col. 24. lit. D. E. *atque adverſus oppugnantes Romanæ Sedis Oecumenicam poteſtatem Hæreticos & Schiſmaticos aureum illud Opuſculum de Unitate Eccleſiæ conſcripſit, in quo, &c.*

bet, Epiſtolam (4) Dionyſii Alexandrini ad Pontificem Stephanum vel à te non fuiſſe lectam, vel, ſi lecta eſt, non fuiſſe intellectam: Secutum te more pecudum lectam alicubi ſententiam Baronii, qui ſanè anno CCLIX. palam exiſtimat, ea Epiſtola Dionyſii Stephano nunciari, reprobatam tandem ab Epiſcopis Orientalibus eorum opinionem, qui hæreticorum Baptiſmum iterandum docuerant; verùm ea Epiſtola, ſi attentè legatur, nihil apertiſſimè aliud nunciari, niſi Novatianam hæreſim ab Orientalibus tandem fuiſse damnatam.

Teſtem tibi producit veritatis hujuſce ſapientiſſimum Valeſium in eruditiſſimis ad Euſebium notis: at interim ridens aſſerit, mirum ſibi planè videri, quòd, cùm tu otioſè quandoque Viri illius doctiſſimi teſtimonio utares, cùm hoc res petit atque tibi omnino neceſse eſt eundem conſulere, ut veritatem jamdudum omnibus notam agnoſcas, vix eum de nomine noſse videare. Ergo ut eas notas convenias, te etiam atque etiam monet, agniturum ex illis, Epiſtolam Dionyſii duo quaſi capita complexam, quorum altero tractabatur ſententia de iterando hæreticorum Baptiſmate, altero nunciabatur Orientalium Eccleſiarum concordia, quæ Novatianam hæreſim communi ſuffragio reprobarat: Scilicet ea Epiſtola nunciatum fuiſse Stephano, Demetrianum Antiochenum Epiſcopum ſubſcripſiſſe damnationi, non æde-

(4) *Vide, quæ hic citat ex illa Epiſtola* Col. 35 per tot.

ἀ.λέγοι iterantium hæreticorum Baptismum, sed Novatianorum: quem nuncium non sine causa gratissimum Stephano futurum Dionysius putabat, quippe Fabius Demetriani decessor erga Novatianam hæresim propensior, coacta Synodo Episcoporum Ciliciæ, Cappadociæ, Palæstinæ, ac Ægypti, eam confirmare tentaverat, ut scribit Dionysius ipse penes Eusebium *lib. 6.*

Hactenus de Cypriani facto; in quo militem alazonem agis, Doctor hic noster; qui mox veritus, ne tibi veniat in mentem, ut umbone Baronii crassum istud acumen tuum tueare, tibi seriò hac exceptione, sive mavis excusatione penitus interdicit, testatus, si hìc, aut usquam alibi, ubi falleris palam aut erras, auricula Baronii tacta ausis antestari, id tibi piaculum fore. Neque enim, ait, si quandoque bonus dormitat Baronius, tibi ex proposito eadem post Baronium pertractanti idipsum impune licuerit: primùm quod illum in ipsis illis, in quibus, ut & in aliis, peccas, magistrum ac ducem dedignatus, non laudas, non producis, non indicas, cavens fortè ne Lectori facem accendas, qua furta & plagia tua crebra prospiciat: deinde, quod Baronii sæculo nulla Codices Græcorumque Scriptorum Interpretes censura correxerat, jacebatque Ecclesiastica Historia tenebris obsita, sensis obscura, rebùs usquequaque confusis implicatissima. At te eo sæculo fors tulit, quo poteras alienis & laboribus & sudoribus accensum lumen adspicere; prælatam præsertim à strenuissimo Valesio facem videre, qui nimirum præclarè adeo ac religiosè rei Ecclesiasti-

cæ

cæ monumenta scrutatus est, ut errare aut labi non possit, nisi qui aut nolit, quemadmodum tenebrosiores pauci, aut ignoret, ut tu, ejus vestigiis insistere.

Tertiò, quòd Baronius post Eusebium Ecclesiasticæ Historiæ maximus Enarrator, imo & ipso major Eusebio rem grandem, vastam, immensam aggressus, si quando fallitur, quia perrarò fallatur, non excusatione dumtaxat, sed & laude dignus est, omniumque Eruditorum studia meretur: quippe qui fusè & accuratè omnia Ecclesiæ tempora doctis Annalibus complexus non potuit omnia ad sui unius censuram revocare, suis tantùm oculis fidere, se uno judice de fide omnium omnino testium, quos producebat, judicare; præsertim cùm tot Scriptores Græcos, eorumque loca penè dixerim infinita proponeret, quæ sæculi adhuc rudis imperitia, aut corruperat, aut vitiosè reddiderat. Quare illi utendum fuit in multis alieno judicio, alienis oculis, quorum neque acris intuitus, nec nisi hebes industria in tot priscis Codicibus perpendendis.

At te formicarum pictorem scriptoremque nugarum, uno verbo inter historicos Vappam, post annos duodecim, quos diceris insumpsisse miserrimè rebus malè excerptis, pejusque intellectis ridiculè conscribillandis, nulla unquam excusatio juverit, ea ætate, cùm omnia plana per sapientissimos Viros, omnia luci suæ reddita, non nisi crassam Minervam & pinguem ignorantiam; addo etiam, temeritatem ac scelus ostentant in his ipsis jamdudum clarissimis ubique lapsantium, quippe

pe oblitorum conditionis suæ, ac per summam audaciam ea scilicet aggressorum, quibus malè imperitèque perfuncti certissimam de Oecumenica Romani Pontificis potestate sententiam Orthodoxis mentibus ancipitem, heterodoxis sannis obnoxiam faciant. Quid enim ex ancipiti, nisi anceps, quid ex ridiculo, nisi ridiculum inferas?

Ecce, inquit, Antecessor egregius propositum suum duabus Epistolis (5) Stephani Pontificis fulcit: at hæ palam falsæ, suppostitiæ, apocryphæ sunt. Nam scatent locis recentium Scriptorum, eaque decreta præseferunt, quæ nullo queant modo Stephani temporibus convenire.

Ecce Lucii Pontificis (6) Epistolam dictorum suorum dat prædem. Sed enim & hæc prorsus apocrypha: quippe quæ sacras paginas ex editione vulgata proponit, loca laudat ex Concilio Arelatensi I. ex Carthaginensi III. ex Milevitano, ex Leone Magno, Magnoque Gregorio, ex Agathone, Adriano I. & Sixto Pythagoreo; prætorquam quod data est mense sexto antequam Lucius Pontifex diceretur.

Epistolam etiam, quam profers, Papæ (7) Cornelii Apocryphis succenturiat Doctor noster, ex fide Criticorum omnium, imo omnium quotquot oculos habent, eamque lectam oppido dam-

I nant,

(5) Col. 36. lit. D. *Idcirco memoratus Stephanus Papa se Universalem appellat, ut universali Ecclesiæ se præesse dicit*. Citat. Epist. 1. & 2. in princ.

(6) *Eadem* Col. lit. E.

(7) *Eadem* Col. in fin. & Col. seqq. init.

nant, ut indignam tanto Pontifice, manifestè falsam, nec nisi nebuloni alicui, & quidem ignorantissimo, tribuendam.

Jam Epistolas Fabiani, (8) Pontiani, ac Zephyrini tibi soli veras & germanas videri posse, non dubitat: Nam apud Eruditos viros spurias & adulterinas haberi multis ex causis, quarum aliquas tibi significat, ut, si potes, intelligas, quàm futilibus argumentis veritatem causæ tuæ, quam tecum profitetur & ipse, sustineas.

Ait, Epistola prima, quæ Fabiano tribuitur, ut certum assumi, Novatum Romam profectum sub Fabiano, cùm certissimum sit, eum sub Cornelio Romam venisse, testibus Cypriano, Eusebio, Hieronymo: Ea Epistola produci loca ex Rufino, Leone, Gregorio, Adriano I. & Bonifacio Moguntino decerpta. Idipsum peccare Epistolam Pôntiano tributam, in qua sacrarum testimonia paginarum ex Editione Vulgata proferuntur, reliqua omnia aut ex Gregorio, Hieronymo, Sixto Pythagoreo sunt, aut stylo barbaro penitus efferuntur.

Secundam quoque Epistolam, quæ Pontifici Zephyrino tribuitur, apertè ac palam esse supposititiam, cujus auctor nimirum in medium stolidissimè proferat conditas ab Imperatoribus pro Episcopis leges, atque unà colligat sententias ac verba Prosperi, Adriani I. Pauli Constantinopolitani, quibus Epistola illa manifestissimè constat, minime veritus Canones ab Adriano Pontifice con-

(8) *Vide* Col. 43. lit. C. D. E.

constitutos ut prisci Codicis Sanctiones proponere : asseri denique in eadem à Zephyrino, ea tempestate, qua scribebatur Epistola, fuisse in Africa falsos fratres, qui spoliarent Episcopos : id, quod nulla rerum Ecclesiasticarum notitia tulerit, penes quam certum est, ætate Zephyrini nihil adversi infestive Christianos passos in Africa.

Atque hìc Doctor noster non satis æstuantem in te bilem suam continet, quin acriter excandescat, justè etiam, si ipsi credimus, ob tot apocryphas Romanorum Pontificum Epistolas, quas Lectori miserrimo in primo capite Operis tui, opportunè, importunè objicis; cùm tamen nusquam de illis examen instituas, aut quidpiam addubites, neque unum aliquod animadvertas ex tot tantisque absurdis atque inter se pugnantibus, quæ illas cuilibet erudito spurias esse & pseudepigraphas probant.

Videtur, inquit, mihi Patavinus Antecessor Primarius hoc sibi, ex adsumpti Operis instituto proposuisse, ut hinc inde corraderet, excerperet, congregaret quidquid apocryphi, dubiique & absurdi usquam est, quo nimirum librum suum quasi arvina mucida saginaret. Miratur te, qui ex parcissima frugalitate ditissimus es, non potuisse, ipsis opibus, tibi amicum aliquem comparare, quo, si minus dante consilium aptum, at saltem opportunò monente, cognosceres, quàm instabili, quàm lubrico loco sis, cùm pultes has misces, cùm mephitim hanc commoves. Non intelligit, qui speres, posse à te in retinendo sanctissimo dog-

mate Catholicos confirmari, posse adigi Hæreticos ac Schismaticos ad idem agnoscendum recipiendumque, iis nimirum principiis adsumptis, quæ ne ab ipsis quidem Catholicis, si qui intra mediocritatem sapiunt, admittuntur.

Asserit, imperitiæ tuæ nullam penitus misericordiam deberi, quippe sine necessitate, spontè etiam ac gratis peccanti: Cùm profectò nolis agnoscere, illam ipsam causam, ob quam eas Epistolas producis ac laudas, unam ex illis esse, quæ Epistolas easdem apocryphas esse constituunt. Nam tu, ait, eas Epistolas ad id profers, ut in priscis illis S. R. E. Pontificibus nomenclationem Oecumenicam probes; nec interim, quantum oportet, respicis auctoritatem Gregorii Magni, qui palam profitetur ac prædicat, Decessores suos noluisse hanc sibi nomenclationem assumere; adducitque tam piæ, tam Christianæ modestiæ rationes.

Nempe, Jesum Christum curam totius Ecclesiæ suæ mandasse Petro, nec tamen unquam Petrum appellatum fuisse Apostolum Oecumenicum; Oecumenici Episcopi titulum esse contra regulas Evangelii, contra Canones, eorumque constitutiones; Episcopum Oecumenicum aliquem sine diminutione, aut etiam internecione potestatis, quæ in reliquis est, esse non posse: Si Constantinopolitanus Episcopus, qui tunc sibi hunc Oecumenici titulum asserebat, labem hæresis contraxisset, futurum fuisse, ut dici posset, totam, illo ruente, prorsus Ecclesiam periisse; oblatum à Chalcedonensi Concilio Oecumenici titu-

lum

lum Leoni Magno Pontifici; sed neque ab ipso receptum; nec à successoribus ejus, nimirum veritis, ne, si quid præ cæteris peculiarius uni Episcopo tribueretur, id juribus reliquorum derogaret; Piorum Principum esse, sua auctoritate illos compescere, qui Canones scelerate contemnunt, ac singularitate adsumpti per nefas nominis titulive, universæ simul Ecclesiæ injuriam iniquissimè irrogant.

Has esse rationes dicit Professor noster, quibus Gregorius cognomento Magnus, munere maximus Pontifex, rejectum à Decessoribus suis Titulum Oecumenicæ Potestatis, palam affirmat. Horum te gnarum, si, quæ scribis, intelligis, nullus dubitat, cùm *pag.* 124 libri tui ipsissima ejus verba producas, oblitus interea tot Epistolarum, quas passim superiùs recitaras, ut à Decessoribus Gregorii Pontificibus datas, quasque non solùm Oecumenica Nomenclatione turgidas, sed uti Oecumenicæ Nomenclationis testes locupletissimas explicaras.

Hinc infestus ac minax sic contra te legitimè colligit: Quid sibi vult festivissimus Antecessor Patavii, productis tot Epistolis priscorum Pontificum? Certè non aliud, quàm hoc ipsum ostendere, priscos Pontifices nomen sibi Oecumenicum asseruisse. Verùm Gregorius Magnus, qui circa sexcentesimum Æræ Christianæ annum & vixit & floruit, affirmat neminem ex Decessoribus suis, pro sua & modestia & honesta demissione, quamvis Oecumenica potestate fungeretur, sibi Nomenclationem Oecumenicam adsumpsisse. Igitur Episto-

ſtolæ omnes, quas Anteceſſor producit, quæque Romanis Pontificibus titulum Oecumenici tribuunt, apocryphæ ſunt, vel certè ignotæ fuere Gregorio. Atqui ignotæ eſſe non poterant Gregorio Magno, qui doctiſsimus inter Pontifices fuiſſe cenſetur: ergo Anteceſſor egregius, quid velit, quid blateret, quid agat, quid his fabellis conſtituat, non intelligit.

Hunc in modum, atque hoc modo Profeſſor noſter, ut ſibi videtur, ſatis accuratè te ſtrangulat. Eum tibi ego in antecaptum denuncio, quò maturè deliberes, qua ratione tibi agendum ſit, ut oſtendas homini te tam acriter accuſanti; ſcire te, quid agas, quid velis, quid eruditè conſtituas. (9) Negat interim, Theodotum Coriarium à Theleſphoro fuiſſe damnatum, docetque id Victori Pontifici tribuendum, ut narrat Euſebius *lib.* 5. *cap.* 27. Baronius ad Annum CLXXXXVI. *num.* 1. Bellarminus de Romanis Pontificibus *lib.* 4. *cap.* 8. Cenſet, (10) conſtitutionem Aniceti editam coram decem Epiſcopis, & Polycarpo, fabulam eſſe; Euſebium, quem producis, nihil aliud dicere, niſi haberi ex Irenæo, Polycarpum profectum Ro-

(9) Col. 44. lit. A. *Mitto quod jam à Sanctiſſimo Martyre Teleſphoro Romanæ Urbis Papa damnatum Theodotum Coriarium ...... Victor quoque Papa exterminavit ab Eccleſia.*

(10) Col. 44. lit. C. *Quod antea tamen in Romana Synodo Anicetus Pontifex præſente Polycarpo Martyre ...... aliiſque decem Epiſcopis adſtantibus, conſtituerat.*

Romam sub Aniceto, disseruisse cum hoc de quæstione quadam difficili, quæ tunc jactabatur circa tempus Paschatis celebrandi: Eundem Eusebium juxta notas Eruditi Valesii hoc unum asserere, Polycarpum Romam profectum, Pontifice ejus Ecclesiæ Aniceto, leves quasdam cum eodem controversias actitasse, convenisse inter illos in plerisque; noluisse tamen Polycarpum contendere de tempore Paschatis celebrandi; in eo pacato jurgio utrumque in sua sententia permansisse

Jam illud Professor noster non satis intelligit, quorsum hic Tertulliani (11) de Præscriptionibus caput 23. laudaveris, nisi forte, ut sciamus, te scire; Polycarpum à S. Joanne Apostolo Smyrneorum Episcopum fuisse creatum; id quod reipsa Tertullianus affirmat, non tamen eo loco, unde à te oscitanter producitur.

Fremit proinde & in omnem iram pronus effunditur, totamque, ut ita dicam, patientiam ejurat, cùm tu hoc signas, & illud petis; hàc vadis, & illuc transilis: cùm caput primum laudas, id verò, pro quo caput primum laudas, in ultimo est. Exclamat, non sine risu & cachinno; futurum fuisse te, ni reptasses in Corio, Induperatorem extemporalem, Ducemque Fabio Maximo Cunctatore majorem, qui scilicet modò extempore, modò contra tempus hac arte tua possis quemlibet adversarium tuum in desperationem adducere, quemadmodum lectori misero patien-

tiam

(11) Col. 44. lit. C. in marg.

tiam excutis omnem, dum plerumque aliud prorſus à vero, ac veroſimili ſcribis.

Aſſerit librum, (12) qui Paſtor inſcribitur productum à te, ut Opus Hermæ, qui fuerit Pii Pontificis frater, ab omnibus Scriptoribus ſub Hermæ nomine recenſeri ejus, qui à Paulo Apoſtolo in fine Epiſtolæ ad Romanos ſalutatur: Ita exiſtimaſſe Origenem, Euſebium, Hieronymum, quo cenſore auctor ejus Libri Græcus fuit, quare, & Græcis notior, quàm latinis: Eſſe proinde abſonum vero, eum librum à fratre Pii Pontificis fuiſſe conſcriptum. Et ne quidquam ignores ex iis, quæ ad librum hunc pertinent, ſcilicet quem laudas & ignoras; ſcire te vult, Baronium & alios quoſdam comminiſci duos libros Hermæ, alterum tribuendum Pii Pontificis fratri, qui non extet; in eoque actum putant de tempore Paſchatis celebrandi; Hermæ alterum Syncrono Apoſtolorum, qui extet: Hanc tamen & Baronii & aliorum opinionem contemni, quòd nulla priſca auctoritate nitatur, quòd ſtet conjecturis recentioribus, nec acturis unquam efficaciter, ut prudenter quis tribuat librum aliquem homini toti Antiquitati prorſus ignoto.

Sed enim, inquit Profeſſor noſter, eſto; tribuamus Hermæ Pii Pontificis fratri Paſtoris librum; demus hoc Eruditioni Anteceſſoriæ, quæ falli non poteſt: An non ſolita peccat, hunc ipſum librum ad teſtimonium producens, quem Gelaſius Pontifex

(12) *Vide hac omnia conſarcinata* Colum. 44. lit. C. D. E.

tifex annumeravit apocryphis? Apocrypha quoque est Pii Pontificis, quem facis fratrem Hermæ Epistola: Stylus ubique barbarus, scribentem fratrem Hermæ affirmat: De Apocalypsi divinitus immissa Pastori loquitur: Habet loca decerpta, exscripta assuta ex libris, operibus, ac decretis Leonis Papæ, Quinti Concilii Romani, Sixti Pythagoræi, Adriani I. cùmque constet sacrarum paginarum testimoniis ex editione vulgata, tempus, quo data est falsissimè signat.

Scripturus hìc eram ac veluti colophonem impositurus Epistolæ ea, quæ latè adnotat Doctor noster in controversia per te agitata latissimè circa tempus Paschatis celebrandi; sed parco tædio tuo, parco libris operosioribus, quibus exantlandis recèns diceris insudare. Quid interim, Vir doctissime, de hactenus enarratis existimas? Si te novi, in hominem pessimum, scabiosum Criticum stomacharis. Et revera nemo eum sine stomacho hæc declamantem audierit. Videtur sibi Sinarum Imperatore potentior, cui scilicet ex officio liceat obligaturas totam Sapientum Rempublicam leges ferre: de te porro loquitur, ac si esses, qui pallentia sulphurata fractis permutat vitreis; cùm tamen, quemadmodum Patavio scribitur, Patriarcha, cum addito tamen, Archilycæi celeberrimi, ab omnibus censeare.

Verùm hodie mihi, cras tibi, ajebat ille: non dubito, quin ad hominem responsurus sis asperrimo ac difficillimo homini. Sed moneo, ut eum planè conteras: nam ni contriveris, lappa totus est; quò magis pulsabitur, eò tibi adhærescet

magis. Quòd ad me attinet; ut ut res accidet, videor mihi meo munere peramicè defunctus hæc scribens, hæc monens, quæ benignè accepturum, grataque & accepta habiturum te, spero: quippe dicta, scripta, proposita ea integræ sinceræque fidei testificatione, ex qua olim & nunc tuum me esse profiteor. Vale.

Romæ III. Kal. Maji MDCCV.

EPISTOLA V.

Excellentissime Domine Doctor.

CRiticus noster morosior in dies mussat, indignatur, fremit, atque ex quo habet præ manibus doctissimum librum tuum, non solùm se tibi mordacissimum æmulum, verùm etiam nobis amicum incommodum, importunum, difficilem præbet. Contemptim per tumorem, ac stomachum agit cum omnibus, mecum præsertim, cujus fidem identidem dubiam, atque suspectam ità videtur habere, ut vix mihi temperare queam, quin illum suas sibi res habere jubeam, meque amicitiæ tàm fastidiosæ, subducam. Id, quod, Hercule, postremis hisce diebus fecissem, ni staret animo promissa tibi, atque obligata fides ea nunciandi, quæ contra te, infelicem criticum agens, molitur. Quantum amori meo debeas hinc benignus ac sapiens agnosce,

cujus

cujus nimirum utilitati consuetudinem hanc mihi molestissimam do; cuique ut faveam ità cum homine pertricoso vivo, ut Marsa serpens excantatus nænia.

Illud, existimo, postremis hisce diebus homini peculiariùs displicuit, ejusque bilem in iras, ac furias egit, quod mecum aliqui catè curaverunt, ut intelligeret non esse è re sua, te virum, ut ex libro tuo constat, atrocioris in contumaces calami provocare; easque vulgò tragædias parare, quæ cum Patavio Romam committant, Urbes ab ultima stirpe consanguineas, nec passuras tantum dissidium inter Professores suos: satiùs esse notas hactenùs conscriptas supprimere, nec rigidiore censura vexare celeberrimum opus tuum quod vix est ex Paganis Presbyteris, aut ex rudioribus Cucullatis aliquis, qui non laudet, non veneretur atque suspiciat.

Hæc plures mecum, quibus ille respondit: calamum tuum, si Marte suo non alieno scribat, obtusum esse, mendosum ac barbarum, adeò verò in rebus, quas exponit infirmum, elumbem ac debilem, ut ne pueris quidem, qui nondùm ære lavantur, timori esse queat: amaturum te, si non planè desipis, silentium; si loquare, paraturum potius comædias tùm Romæ, tùm Patavio, Urbibus ut ab origine consanguineis, ità ex sapientiæ studio in hoc quidem fœderatis, ut aversentur temeritatem tuam, quæ suæ tenuitatis oblita, res ultrà crepidam concipit, argumentumque sibi proponit ultrà vires, ultrà lacertos, ultrà captum suum: videri hoc ipsum à Professoribus cùm Ro-

manis, tùm etiam Patavinis, atque ab his maximè, qui te intus & in cute norunt; probabuntque hanc ipsam censuram, quæ cùm tot inter ab illis doctè sapienterque conscripta, tua tantùm sigillatim castiget, tacito saltem ipsorum suffragio probabitur, atque eorundem & sapientiam, & eruditionem multiplicem probabit.

Quod attinet ad famam, ac celebritatem Operis tui, falsam hanc esse, ac mendacem contendit, & Romæ illud & Patavii prostare inemptum; si tamen antequam ad salsamentarios deferatur casu in manus Presbyteri, aut Cucullati rudioris cujuspiam inciderit, hoc ipso curandum ne noceat, neu certissimam ac necessariam Potestatem Romanæ sedis, quam tot ineptiis labefactas, etiam ignoranti plebeculæ imbecillam & infirmam, quasi falsis, ut stet, argumentis indigeat, repræsentet. Sic, Doctor noster ferox, cui irato efferatoque non placuit quidquam ulteriùs inculcare; visum potius hæc omnia ludos facere, atque interim quid contrà te novi ferat, tibi nunciare ex fide promissi, quam actutum exolvimus.

Postquàm Professor noster illa in primo capite libri tui adnotavit, que multa & magna detulere ad te Epistolæ meæ, omissis levioribus, omni palam asseveratione confirmat ac prædicat, te, si non aliam ob causam liberalioribus disciplinis navasses operam, nisi ut penitissimam ignorantiam perdisceres, non potuisse nec ratiocinari nec judicare de rebus aut perversè, aut absurdè magis, quàm ratiocinaris ac judicas: mirus scilicet artifex ineptiarum, quibus fit, ut semper aliud sumas

mas pro alio, præmiſſas, ut ajunt, pro concluſionibus; nugas, conjecturas, pro certiſſima veritate, atque illam plerumque aſſertionem ac theſim inter plurimas eligas tenendam ac defendendam, quæ rectà opponitur communi ſententiæ hominum in re ac Hiſtoria Eccleſiaſtica maximè peritorum.

Enim verò ut preſſiùs, inquit, rem agamus; viden' ut facilè minas Romanorum Pontificum excommunicationes (1) appellat Anteceſſor egregius: Ut fulmen exiſtimat tonitru illud, quo Victor Pontifex terruit Aſianos Epiſcopos nimis addictos conſuetudini Paſchatis Judæorum more celebrandi? Ergo monet ut Doctiſſimum Valeſium conſulas, quo docente ac probante noſces, objeciſſe quidem Victorem pervicacibus excommunicationis minas, excommunicationem non intuliſſe. Id quod primo conſtituit auctoritate Euſebii, Epiſtolis Irenæi aliorumque Epiſcoporum ad Victorem datis; deinde Photii tui loco in Bibliotheca *Cod.* 120. ubi affirmat ſcripſiſſe Iræneum multas Epiſtolas Victori, quibus accuratè monebat, ne Aſianos Epiſcopos aliam ab Occidentalibus circa tempus Paſchatis celebrandi ſecutos conſuetudinem diris Eccleſiaſticis devoveret. Ergo, infert Valeſius, ante Irenæi Epiſtolas nondum Victor exterminaverat ab Eccleſia Epiſcopos Aſianos?

At

(1) *Ut Incendium illud ab Aſianis excitatum extingueretur, ideo (Victor) excommunicationis ſententia prolata Polycratis & Sectatorum omnium contumaciam repreſſit*. Col. 46. lit. E. in fine.

At dici nequit id à Victore patratum post acceptas ab Irenæo Epistolas, quòd hoc Eusebius non dicit, non omissurus, si dicere potuisset; imo potius contrarium videtur asserere, pacis auctorem Irenæum appellans: unde facilè colligas Epistolis Irenæi Victorem adductum, ut ne anathematis fulmen, quod fuerat ante minatus, emitteret in Asianos Præsules.

Hinc Doctor noster progreditur ad examen tertium, quorum auctoritate niteris confirmare latam in Asiæ Episcopos à Victore sententiam. Si homini credimus, primus (2) tibi testis est Eusebius, secundus Epiphanius, Socrates tertius, quartus Nicolaus Pontifex primus, quintus à te sæpè productum Synodicon. Quod ad primum, & ultimum attinet, Eusebium scilicet ac Synodicon, tibi etiam invito delegat Valesium magistrum, qui jampridem sibi munus asseruit te sanandi, si fas: Responsurum tibi verbis Eusebii Græcis eruditè propositis, non dici ab Eusebio Victorem sacro commercio interdixisse Asianis Episcopis, sed tentasse interdicere: docturum propalam absolutè atque simpliciter, Synodicon librum esse nullius auctoritatis; utque labore, quem tibi fortè pergravem subiturus es, Valesium quærens ac legens, Doctor noster te absolvat, hìc tibi, ejusdem, ut jacent, verba proponit hunc in modum sonantia:

As-

(2) *Sicut memoria tradiderunt Eusebius, Epiphanius, Socrates, & Nicolaus Papa ut legitur in Synodico, quod hic sæpe citatur. Vide* Col. 46. in fine, & Col. 47. A. B. in marg. etiam ibid.

Atque ita auctor Synodici, cujus tamen testimonium parvi facio; observavi enim illum scriptorem, quisquis fuerit, nulla temerè confingere. Et verò deplorat hìc noster Doctor Criticus, conqueriturque tecum audaciam Valesii tàm malè judicantis de libro quo passim uteris tamquàm teste omni exceptione majore, quo plerumque uno probationum tuarum argumenta constituis, quem habes penè non hagiographum, cujus in sententiam nimirum citrà omnem examinis aleam pedibus eundum sit; verùm præivisse Valesio, circa auctoritatem Synodici, maximum censorem Allatium, qui in Diatriba de libris Anonymis, scriptori Synodici, quem censet vixisse circa tempora Photii, simplicitatis & credulitatis notam inurit, monens eum, in iis quæ ante seculum nonum narrat, plerumque labi, nec aliter ad auctoritatem trahendum, quàm si cum priscis Auctoribus in historia consentiat. Id scilicet te præstare ait, qui eundem in iis dumtaxat sequeris, in quibus priscos & probatissimos Auctores deserit.

Plaudit igitur diligentiæ, ac peritiæ tuæ, quas etiam, si superis placet, miratur in testimonio, quod producis ex Socrate (3): ait tamen lectum à se à vertice ad calcem librum Socratis tertium, & ne syllabam quidem inventam, quæ faciat ad rem tuam: sed enim irascitur fortunæ, vel incuriæ suæ, quod minimè contigit, perlecto integro illo Socratis libro, caput septuagesimum à te laudatum videre, cùm totus liber Socratis tertius non nisi

(3) *Socrates* Col. 47. in marg. lit. A. lib. 3. hist. cap. 70.

nisi viginti sex capitibus constet. Hinc tibi datum benignè ac benevolè semel iterumque consilium, iterum iterumque inculcat, ut ante legas ac videas loca scriptorum, quæ recitas; simul tibi significat in causa, quam pertractas, fidem Socratis, utpote Novatiani hominis esse suspectam.

Jam quod spectat ad Epiphanium, optat ut locum illum intelligas, in quo non dicitur à Victore Asianos Episcopos excommunicatione perculsos, sed hæc habentur: *Polycarpi ac Victoris ætate Orientales ab Occidentalibus divulsi pacificas ad se invicem literas nullas acceperunt*. Ita Epiphanium scribere ex editione Petavii Græcè & Latinè, sive malis, Latinè, & Græcè. Unde & hæc tibi omninò notanda proponit; Primùm errare manifestè Epiphanium in illis verbis *Polycarpi & Victoris ætate*, cùm octodecim ampliùs annis ante quàm Victor infulas Romanas iniret, Polycarpus mortem pro Christo Martyr obierit; ut colligitur ex Eusebio *lib*. 4. *cap*. 15. deinde verbis illis, *Orientales ab Occidentalibus divulsi*, non significari ætate Victoris Orientales cum Occidentalibus non communicasse, cùm constet Occidentales ipsos Victorem deprecatos pro Orientalibus, ne nimirum illos à Sacra Christianorum societate repelleret, ut testantur Eusebius, Irenæus, Synchronus auctor, & Hieronymus: ex quo certissimè colligit non eam esse sententiam Epiphanii, ut censuerit Orientales ab Occidentalibus divulsos, quod attinet ad communionem sacrumque commercium, sed quod spectat ad sententias moresque, ac consuetudines sibi invicem repugnantes, ut affirmat Sozomenus *lib*. 7. *cap*. 19.

Quid

Quid porrò de auctoritate Nicolai I.? Deplorat veris lacrimis Professor noster evanidos conatus tuos, cùm his te stramineis fulcris sustines. Jubet te legere quæ Nicolaus scripsit, ut videas quàm fragili conto nitare. Ait, nihil ex eo afferri posse quo scriptorum auctoritas priscorum in Ecclesiastica historia labefactetur. Hujus non admodum peritus apparet Pontifex ille qui Epistola octava ad Michaelem Constantinopolitanum Imperatorem potestatem Romanæ Sedis contra perduellem Græcorum proterviam constituturus Apocrypha laudat, nempe Romanam Synodum sub Silvestro, acta ejusdem Silvestri, Sinvessani etiam acta Concilii; proinde neque mirum, neque ullius momenti censendum, si minas Victoris, ut diximus, pro excommunicationibus accipit.

Atque hæc de testibus quos producis Criticus noster, ex quibus aut à te non intellectis, aut multiplici exceptione rejiciendis, quid tandem conficias non intelligit; quemadmodum nec illud, quod (4) moliris ex Victoris Epistola ad Alexandrinum Theophilum. Constat eam apocrypham esse: abundè hoc probat ipsa ejus inscriptio, in qua nomenclationem Archiepiscopi universalis Ecclesiæ inusitatam priscis Pontificibus, ut superiùs probatum est, Victor usurpat: in qua scribit Alexandrino Theophilo, qui ducentesimo

L post

(4) *Vide hæc pulcherrima verba & si potes intellige* Col. 47. lit. C. D. *Ad memoratum quoque Theophilum Alexandriæ Episcopum Metropolitanum Cæsareæ Palæstinæ, literas dedit.*

post Victorem anno Avunculus Cyrilli Alexandrini ac proximus decessor vixit; in qua agitur de Episcoporum judiciis de Appellationibus ad Romanam Sedem: in qua frequenter occurrunt loca ex Leone Pontifice, & Isidoro.

Non videt igitur, quid tibi velis hac Epistola; at sanè videt, te statim tibi contrarium esse, pugnare te tecum. Nam postquàm copiosissimè desudasti malè probans interdictum à Victore Asianis Patribus sacro commercio, continenter subdis, interposuisse se Irenæum penès Victorem, ne illos tanta pœna percelleret; scilicet hæc ipsa sententia tua est, de qua ne quis dubitet, ipsissima Eusebii verba producis (5) hunc in modum: *Irenæus Victorem admonuit, ne integras Dei Ecclesias morem sibi à majoribus traditum custodientes à communione abscinderet*. Infert ibidem continenter Criticus noster; Ergo Victor nondum absciderat. Utrum hìc sibi constet Antecessor egregius, dicant, inquit, illo lecto Ambubajarum Collegia. At pergit Criticus; vultis majus aliquid ac Jovi prodigiali sacrandum agnoscere? Doctor Vaira non scribendi, sed exscribendi etiam imperitissimus est. Illum Eusebii verba referentem (6) attendite: *Quoniam, & decessores ejus Pontifices Soter, Pius, Hyginus, Telesphorus, Sixtus pacem nihilominùs colebant*. Hunc Eusebium audite. *Presbyteri ante Soterem, qui Ecclesiæ, cui jam tu praes, præficiebantur, Anicetum dico, Pium, Hyginum, Telesphorum, Sixtum, licèt & ipsi, &c.* Ut fidus

(5) *Vide* Col. 48. lit. B.
(6) *Vide* Col. 48. lit. B. C.

dus exscripto Doctissimus Vaira Anicetum Pontificem ad Garamantas relegat, cui Soterem substituit qui nihil pertinet ad scopum atque propositum Irenæi atque Eusebii.

Verùm, addit, expendamus sodes, duas Antecessoris propositiones falsissimas, quas non sine tædio ac labore, ex multis à re alienis, absurdis, frigidis, confusis, iteratisque ejus verbis elicui, &, ut ità dicam, emunxi. Prima est, Victor bis Asianos Episcopos sacro fulmine perculit: Vairæ hæc sunt (7) verba: *hostes illos iterum judicavit Ecclesiæ*; nimirum ante & post interpositas ab Irenæo preces pro pace atque concordia. Miserum, exclamat, Valesium si viveret: benè est quod olim fato defunctus se suæ subduxit infamiæ; nam si superstes esset, qui posset ullam cum eruditis deinceps sperare consuetudinem? Contendit pro virili ostendere, digito signans loca ipsa scriptorum, minatum Asianis Episcopis excommunicationem Victorem, non executum; at nunc prodit Doctor Vaira, ac primus turpis in os ejus inficiationis contumeliam impingit, disertè pronuntians, non semel, at etiam bis à Victore Asianos Episcopos excommunicatione multatos: *Hostes illos, inquit, iterum judicavit Ecclesiæ*.

Quid? quod idipsum Nicolai I. Epistolæ auctoritate (8) constituit: nam Nicolaus Pontifex, inquit, censet, etiam post preces ac monita Irenæi aliorumque Antistitum, Victorem segregasse

L 2 à Chri-

(7) *Vide* Col. 48. lit. D.
(8) Col. 48. lit. C. in Col. 49. lit. A. D.

à Christianorum commercio Asianos Episcopos; unde arguit iterum illos à Victore judicatos hostes Ecclesiæ. Si tam arguta, tam pressa, tam castigata discipulos tuos doces ab exedra, inquit Criticus noster, aut rident, si sapiunt, aut si non rident, nihil aliud addiscunt, quàm longum istud tuum; ac prolixum non sapere. Quin & ibidem alteram ex propositionibus tuis ad trutinam revocat. Ais à Victore Pontifice sacra censura notatos Asianos Episcopos, atque unà eos, qui cum ipsis in fidem peccabant. *Verùm*, (9) inquis, *intelligens Victor plus se Orthodoxæ religioni profuturum, si Asianos, & cum illis contra fidem sentientes persequeretur*. Respondet tibi, neque Asianos Episcopos, neque sentientes cum ipsis contra fidem, sed contra Ecclesiasticam disciplinam peccasse; neque alios quartodecimanos Hæreticos fuisse, nisi eos qui post Nicænum Concilium id, quod prisci illi, tametsi malè, non tamen hæreticè tenuerunt pervicacissimè tutati sunt & retinuerunt.

Addit se habere multa ex iis quæ hìc dicis & scribis notanda, castiganda, ingerenda imperitiæ tuæ: verùm ex iterata libri tui lectione, non obscuris indiciis persentisse, rem inutilem, ac supervacaneam fore docere te, perditurum se oleum, & operam, non cadere in te institutionem ullam, eruditionemve. Ex multis igitur illis hoc unum adnotari velit, (10) nullo Canone Nicæni Concilii,

(9) *Vide* Col. 48. lit. C. *Ubi verba hæc.*

(10) *Ob hanc igitur causam Patrum Nicænorum divina asser-*

cilii, ordinem ac tempus Paſchatis celebrandi fuiſſe conſtitutum; actum id atque decretum Epiſtola Synodi ejuſdem Synodica, quam eruditè Canonem vocas: quod ne iterum pecces atque iterum, ut ſoles, orat te atque obteſtatur ut Concilia antè legas quàm recites; ſaltem conſulas Cabaſſutium ſcriptorem deſcriptoremque Conciliorum & Canonum obvium & vulgarem, ne ab uno in aliud, ut in diem tranſilias, & ſæpiùs cæſpites.

Sed tempus, inquit Profeſſor noſter, recenſendi nonnulla ex illis, quæ circa Tertullianum (parce verbo non noſtro) deliras. Gratulatur autem hoc primum, quod ſerves morem & characterem, ut eximium decet poetam, dum affirmas, decernis, enuncias, inſtar Oraculi Dodonæo ac Delphico certioris, at, quæ infelicitas tua eſt, ſemper longè aliter, ac Doctorum virorum fert ſententia. Notat itaque à te conſtitui, (11) Tertullianum floruiſſe ab anno Chriſti centeſimo quadrageſimo quarto, ad annum ducenteſimum decimum ſextum; teſtem tamen tibi futurum Hieronymum, Tertullianum floruiſſe ſub Septimio Severo & Antonino Caracalla, hoc eſt ab anno centeſimo nonageſino quarto, ad ducenteſimum decimum ſextum: fuiſſe quidem, qui dixerint floruiſſe illum circa

næ æternaque mentes ſuiſſe videntur, qui ſuo canone æquè vocarunt recuſantes obedire edicto Victoris Col. 50. lit. B.

(11) *Floruit, ut notum eſt, ab anno circiter centeſimo quadrageſimo quarto ad annum ducenteſimum decimum ſextum* Col. 50. lit. D.

circa annum centesimum sexagesimum, sed eodem eos laborasse, quo tu quoque, morbo inscitiæ; Docet (12) meram ac simplicem conjecturam esse recentioris cujuspiam, Tertullianum idcircò ab unitate Ecclesiæ secessisse, quòd in Romanis Infulis ipsi Victor fuisset prælatus: monet te, ut cùm has nobis bellas & argutas notitias ingeris, expeditiùs agas atque constantiùs, ne nimirum pugnantia loquare, atque à te ipso dissentias; quemadmodum hìc etiam facis, qui lapsum Tertulliani ad initium Tertii Sæculi revocas, (13) cùm Romanas Infulas Victor inierit anno centesimo nonagesimo tertio.

Exclamat te non contentum his & similibus ineptiis, uti etiam ad earumdem confirmationem auctoritate Parentis Annalium Ecclesiasticorum Baronii, quem in partes farciminum (14) tuorum vocas. Ita nimirum eum laudas ut non indices; quàm prudenter, quàm circumspectè, quod sentit, enunciet. Non enim, ut tu, affirmatè Baronius asserit actum in præceps re ipsa Tertullianum ex indignatione atque ira indè concepta, quòd ei Clerus

(12) *Ut Montanum sectaretur, descivisse quod memorato Victori in Episcopatu Romanæ Ecclesiæ fuisset postbabitus* Col. 50. lit. D.

(13) *Tertiò autem ineunte Sæculo, ut Montanum sectaretur ab Ecclesia eum descivisse* Col. 50. lit. D.

(14) *Ab Ecclesia eum descivisse scribit inter cæteros Cardinalis Baronius, quod memorato Victori in Episcopatu Romanæ Ecclesiæ fuisset postbabitus* Colum. 50. lit. D.

Clerus Romanus Victorem prætulisset, sed rei hujusce quandam conjecturam prudentissimè facit; ex invidia nempe satis in Tertulliano probabili, quod ejusdem cum Victore gentis esset, Afer & ipse: sic nimirum doctè Baronius, quem quoniam à te non lectum Professor noster existimat, arbitratus te uti ejus auctoritate alicubi obiter laudata, æqui bonique consulit ipsa verba Baronii noris addere suis, quæ te, sicuti optat admoneant ut caveas circumspectè deinceps ne virum tanti nominis non lectum producas ad testimonium.

Igitur sic accuratè Baronius: *Quamobrem lapsum ipsius post Eleuthe ii mortem contigisse oportuit sub Victore gentili suo; nam & ille, cujus & ipse, Afer erat: Indignè fortasè tulit, sibi illum prælatum, vel quòd ab ipso non adeo, ut sibi præsumpserat, haberetur honore, vel officiis coleretur*. Vapulas ergo, Antecessor Excellentissime, à Professore nostro, quod Baronii sententiam referens, fidem obligatam historiæ, quam profiteris, fallas, omissis circumstantiis illis quibus, ne titubet, indiget sententia Baronii. Addidisses, ait, saltem *fortasè* illud, atque alteram conjecturam non omisisses, quæ communi sententiæ consentanea est, congruitque Hieronymo narranti, Tertullianum livore atque injuriis Romani Cleri actum in furorem, ac rabiem vertisse se contrà Romanam Ecclesiam, atque ab eadem ultrò se segregasse.

Deinde observat Criticus noster, dicere te Eleutherium à Montanistis deceptum (15) fuisse: peritio-

(15) *Cùm autem Victoris prædecessor Eleutherius deceptus fuisset à Montanistis* Col. 50. lit. E.

ritiores in re Ecclesiastica oppositum censere asserit; Victorem scilicet potius quàm Eleutherium à Montanistis fuisse deceptum. Tertullianus, ait, non nominat Romanum Episcopum à quo dicit pro Montanistis datas pacificas literas, quas mox, Praxea expostulante, revocavit. Vide Tertullianum in Praxeam *cap.* 1. Notat deinde, à Tertulliano ita hanc historiam cum Hæresi Praxeæ conjungi, ut omninò existimandum sit, non sine communi eruditorum suffragio, utrumque eodem tempore contigisse, lapsum videlicet Praxeæ, & deceptionem Pontificis: Atqui Praxeas non fuit hæreticus ante utrumque Theodotum, quorum senior in lucem non prodiit, nisi sub Victore Pontifice, teste Tertulliano de præscriptionibus *cap.* 13. Eusebio *lib.* 5. *cap.* 28. Igitur cùm Praxeas poni non possit ante Victorem, hic potuit à Montanistis decipi potiùs, quàm Eleutherius, ut disces etiam apud Baronium ad Annum CLXXXXVI.

Hinc Cabassutius in Synopsi sæculi secundi *num.* 14. tam longè abest ab approbanda sententia tua, censendoque Eleutherium à Montanistis fuisse deceptum, ut censeat potius successorem Victoris Zephirinum Montanistarum fraude interceptum.

Præterea observat Tertullianum *eodem cap.* 1. in Praxeam, asserere Decessores ejus Pontificis quem ibi, nomine dissimulato, sugillat, Montanistis fuisse contrarios: id quod dubio procul congruit Eleutherio, ac Soteri qui soli post exortum Montanistarum præfuerunt Ecclesiæ ante Victorem: hunc etiam, palam est, faciliùs capi potuisse Montanistarum dolis ac fraudibus, atque irritari in

Asia-

Asianos Orthodoxos; quos inter atque ipsum intercrat rixa ingens & annosum jurgium de tempore Paschatis celebrandi.

Plura hìc se habere profitetur Professor noster, tibi utiliter proponenda ad penitissimam hujus errati tui ac certam cognitionem, quæ quia supra captum tuum sunt, ut ille autumat, libens ommittit: Quamobrem ne, quod ex veteri effato ridiculum est, alas equo Sileni addere videatur, hìc sermonem de subtilioribus hisce ultrò abrumpit.

Ego quoque hìc finem Epistolæ faciam, ne nimirum ejusdem prolixitas, me tibi in tædium ac fastidium adducat; præsertim cùm satis superque hactenùs relata te doceant, gliscere semper in dies huic Critico nostro morosæ & acerbæ voluntatis refractariam pervicaciam: hac fretus nihil sibi non licere putat, jurat sibi omnia favere, imo & militare autumat; ac si quis audet illi aut contradicere quidpiam, aut vel quadantenus obluctari, ei confestim, aut ridens aut subiratus respondet, librum tuum posse vel patientissimo Jobo patientiam excutere: in eo omnia penè esse falsa, omnia insulsa, absurda omnia, omnia fallaciis æquivocationibus, perplexis & ineptis argutiis referta: occurrere in eo passim aliorum sententias vel non intellectas, vel immutatas, vel corruptas aut pessundatas; uno verbo, tam magno libro nihil fermè boni, sincerive, aut profuturi unquam cuiquam contineri; frigere in eo ac penè non emori ipsas propositiones veras, quas nimirum probationibus tuis falsis, rudibus, imperitis sæpè in-

ternecas: Nolle se amplius notandis oscitationibus, enumerandisque ineptiis tuis operam inanem navare; vereri quippe, ne quis ipsum te dementiorem existimet, quòd insanabilem insaniam tuam ulla medicina levari posse putaverit.

Sic Criticus: at sic miser loquitur & scribit imprudens, ignarusque fulminum imminentium, quæ in ejus pertinacissimam insolentiam Dialis isthæc sapientia tua, rubente quasi dextera, ejaculabitur. Quàm citò pœnitebit eum imprudentissimæ acerbitatis suæ? Pol, hìc sibi hostem excivit, quo vivo atque, ut optamus, incolumi, ferales aget dies, sibique volens igne & aqua interdicet, ut lateat seque infamiæ suæ superstitem neget. Tunc ego insultabo furiosæ ejus dementiæ, illique objiciam contemptum consilium meum, quo vanum hominem hortabar, ut quiesceret, rerum suarum satageret, alienum fimum ne commoveret; si declamare placeret, nativum blaterandi cachoetes rumperet in prælectionibus suis, frementiumque discipulorum aures delassaret: neque enim impunè lacessiri virum illum eximium, cui quod se omnibus intactum inviolatumque prædicet, bellè Virgilianum illud inscriptum Patavii dicitur:

Cornu petit ille, caveto.

Caveo ego, Antecessor Excellentissime; imo gratiæ, ac benevolentiæ tuæ, quà possum, studeo, hæc tibi scribens, hæc tibi nuntians, quæ quo scripta sunt animo, quoque nuntiantur, tui nimirum & amantissimo & studiosissimo, eo ut excipias, etiam atque etiam rogo. Vale.

Romæ tertio idus Jan. MDCCVI.

EPI-

EPISTOLA VI.

Excellentiſſime Domine Doctor.

GRatulor tibi; imo & plaudere licet, quod quam contractis undequaque violentiſſimam teterrimamque Criticus oſtentabat, demum in tenuem imbrem tempeſtas reſoluta ſudum promittit. Bellum tibi pertinax, atrox, internicinum indixerat: en receptui canit, cauſatuſque tædium, ſtomachum, nauſeam olidæ pultis, quo nomine librum tuum elegantiſſimis typis editum vocat, profitetur palam nolle ſe ampliùs in illum inquirere; nolle his recrementis movendis pertractandiſque operam inutilem ac putidam ludere. Quin & coactis in unum Profeſſoribus quos idem in te livor exagitat, abdicavit ſe nudius quintus munere tua ulteriùs perſequendi, ratus hactenus notata ſufficere, ut omnes intelligant quis in reliquo ſis opere tuo.

Herculem, inquit, ex veſtigio, ex ungue leonem agnoſcite. Non niſi inſaniſſimè cæptum proſequitur, qui vel dum incipit tam apertè delirat, quique in tam paucis paginis tot monſtra legentibus objicit, quam ineptiarum Herciniam, quem Stymphalum nugarum, quas in vaſto ingentis voluminis ſinu ſtrophadas errorum non continet? Equidem ita cenſeo, decretum auctoritate veſtra, conſultiſſimi Patres, fieri oportere, quò tum reli-

 gioni,

gioni, tum eruditioni Christianorum, proscripto hoc, nocentissimo libro consulatur? Nec vos moror: sic ego vobis in ejus decreti verba praeeo: *LIBRUM DOCTORIS VAIRÆ ORTHODOXUS; HÆRETICUSVE, NI BONAS HORAS MALE COLLOCARE VELIT NE LEGITO: SI ORTHODOXUS LEGERIS, EO AD POTESTATEM ROMANÆ SEDIS NE UTITOR; SI HÆRETICUS SCHISMATICUSVE, SCITO, ILLO CAUSAM OPTIMAM PESSIME PROPUGNARIER.* Sic effatus conticuit, obtinuissetque sententia ejus, ni Magister meus intercessisset, negans inauditum te damnari posse; ederet quas hactenus congesserat notas Professor noster, easque tibi denuntiaret: si tacuisses, fore tunc ut saltem ob contumaciam damnarere.

Quo magis è re tua visum, ut & hæc scires ipsa, simul & notas reliquas aliquot, quas ex Professore nostro licuit expiscari, ineptas illas quidem & imbecilles, non autem minus iniquas ac virulentas; quas nimirum oporteat meditatè conterere ac præsentissimè refutare, cùm edentur in publicum, teque ad responsionem egregiam provocabunt. Facies id, Amplissime Doctor, gnarus olim, quaes in literaria Republica & auctoritate & majestate, tuum esse non tua dumtaxat tueri, verùm etiam hominis quidlibet, ni plectatur, ausuri sinisteritatem compescere; præsertim cùm hæc jamdudum eò processerit, ut plerisque eruditorum, tibi autem in primis majores ac luctuosiores nænias minitari videatur.

Primò igitur Criticus noster intelligere se non posse profitetur, qui tibi persuadere potueris

(1) Ter-

(1) Tertullianum *cap.* 1. in Praxeam loqui de Aniceto Pontifice, si, hoc Ecclesiam Romanam regente, Montanistæ nondum eruperant: haberi siquidem ex chronologia Eusebii, Anicetum Anno Christi centesimo sexagesimo octavo diem suum obiisse, Montanistas verò triennio post agnosci cœpisse, anno scilicet centesimo septuagesimo primo. Admonet te etiam, ne tam facili commeatu Irenæum Lugdunensem Episcopum Romam, (2) mox in Asiam deducas: mandasse illi quidem tunc adhuc presbytero Martyres Lugdunenses & Clerum, ut epistolas quasdam Romam ad Eleutherium, mox etiam, (ut auctoritati Fevardentii tui aliquatenùs deferatur) in Asiam deferret; Irenæum tamen non potuisse mandatum hujusmodi exequi, atque adeo neque Romam, neque in Asiam profectum. Quamobrem ut assolet, quod tibi sæpe proposuit, ingerit iterato consilium, si vis expeditè, salubriter ac tutò in iis quæ pertinent ad sacram vetustatem, incedere, ut illustratum Valesii notis Eusebium legas, &, si potes, intelligas: ita nimirum exscripturum te aliquid quod non desipiat; dicturum aliquid quod stomachum non moveat,

---

(1) *Soteris & Aniceti, suorum in Sede B. Petri prædecessorum, quorum temporibus oriri cœperant Montani prophetiæ. Vide* Col. 5. lit. A. ubi citatur Tertull. in Praxeam cap. 1.

(2) *Verùm Ecclesiarum illarum Clerus literas suas unà cum Epistolis SS Martyrum Lugdunensium per S. Irenæum tunc hujus Ecclesiæ presbyterum ad Eleutherium misit, &c.* Col. 51. lit. C.

veat, nec hæsurum te in cortice rerum, dum inhærere medullis existimas.

Miratur præterea acumen ingenii tui, in eo quod subtilissimè conjicias, & plusquàm arioleris, (3) Cyprianum illorum Episcoporum nomina *qui totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauserant*, subticuisse, ne sibi irascerentur, præsertimque quod verebatur, ne venire posset in magnam vituperationem Tertullianus Ecclesiæ suæ presbyter. Exclamat conjecturam hanc lepidissimam esse dignamque Vaira maximo Antecessore in Archilycæo Patavino. At subdit, si Tertullianus presbyter fuit, quid illi cum Episcoporum, quorum nomina subticebantur, catalogo? Denique asserit te non solùm imperitissimum esse eorum quæ scribis, verùm in ipsa imperitia tua infelicissimum. Nam si quando, quod raró evenit, probati auctoris cujuspiam in librum incidis, unde operis tui farraginem farcias, miro modo, sed propè dixerim, fato tuo, si quid ibi est exscriptorum vel etiam scriptoris ipsius culpa mendosum corruptumve, illud certissimè protinus eligis ac probas, quo quasi centone rhapsodiam dissertationis tuæ, quam jure magnetem errorum appellat, consarcines.

Hujus manifestissimæ veritatis gustulum ex multis unum tibi Criticus noster delibat ex facto quod tu ipse recitas, Valentini & Marcionis. Ait eruditorum virorum translativis animadversionibus annotari, non potuisse à Tertulliano scribi, Valen-

(3) *Vide hæc verba, & totum contextum* Col. 53. lit. A. B.

lentinum sub Eleutherio Pontifice unà cum Marcione ab unitate Ecclesiæ bis fuisse segregatum: unde ponunt id in codices priscos Tertulliani dolo aut lata culpa exscriptoris irrepsisse. (4) Te autem statim errori os admovere, teque illo strenuum ingurgitare; nec videre te paulò post in eodem facto tibi ipsi contraria loqui.

Vultis ne, inquit, agnoscere hæc me vobis de Antecessoris inscitia dicentem folium recitare Sybillæ? Si vacat, attendite. Valentinus non potuit ab unitate Ecclesiæ repelli sub Eleutherio: nam Irenæus qui sub Eleutherio scribebat, *lib.* 3. *cap.* 4. docet Valentinum Romam profectum sub Hygino, innotuisse sub Pio, moratumque ibidem usque ad Anicetum. At Anicetum excepit Soter, Soterem Eleutherius. Idipsum confirmat Hieronymus Anno 143. & iterum Irenæus in præfatione *lib.* 1. Justinus in Triphonem & alii penès Valesium. Quid? quod illud ipsum ex Tertulliano colligitur *cap.* 30. de præscriptionibus, ubi hac qua scribebat ætate, Valentinum jam mortuum asserit, cùm de illo & aliis dicat: *nam constat illos neque adeo olim fuisse*. At sub Eleutherio Tertullianus vivebat, imo &, te teste, florebat olim ab anno centesimo quadragesimo quarto.

Quod ad Marcionem attinet, Criticus noster affirmat, tuo testimonio (5) palam esse hunc Romam

(4) *Vide* Col. 55. lit. B. C. D.

(5) *Nisi dicamus hos tantos fluctus excitare Marcionem cœpisse, Sede Romana vacante; quod nobis ut censeamus conjectura esse potest, &c.* Col. 56. lit. A.

mam profectum post obitum Hygini, tunc cùm renuntiatus est Pontifex Pius. Qui, ergo, inquit, potuit semel atque iterum ab unitate Ecclesiæ repelli unà cum Valentino sub Eleutherio, si Valentinus Romæ non fuit nisi usque ad Pontificatum Aniceti? Addit, ex sententia eruditorum hominum, quos tibi planè barbaros novit, jamdudum haberi pro certo, non solùm Tertulliani locum corruptum esse in Eleutherii nomine, verùm etiam in nomine Marcionis, legendumque pro eo Cerdonem. Neque enim Marcioni conveniunt quæ ibidem à Tertulliano narrantur; præsertim cùm Marcion sub Eleutherio vivere haudquaquam potuerit, scilicet ante ejus Pontificatum fato functus, ut eodem *cap.* 30. de præscriptionibus innuit ipse Tertullianus.

Porrò hæc se tibi obiter Professor noster notanda, tenenda suggerere autumat, non quòd putet inscitiam tuam & incuriosam simplicitatem iis intelligendis, nedum in examen vocandis, idoneam esse, sed quòd existimet humanitatis suæ esse tecum conqueri de infelicissima imperitia tua, quæ vel cùm ex bonis scriptoribus locum aliquem seligit, illum statim seponit, qui à doctioribus & accuratioribus Ecclesiasticæ historiæ censoribus, aut exscriptorum fraude, aut scriptoris ipsius oscitantia corruptus mendosusque judicatur.

His minutissimis tricis non solùm insultat tibi Criticus noster, sed & sibi summoperè plaudit, ratus ad pompam ingenii sui pertinere, quod has tibi dubitationes objiciat ex Chronologia petitas, cujus te imperitissimum & incuriosissimum prædi-

cat.

cat. Sed retundes, cùm respondere dignabere, tumorem hominis vani, si palam ac liberè profitebere, te olim toti universim Chronologiæ valedixisse; non esse majestatis tuæ ad Chronologorum supputationes descendere; dissertationem historicam Catholicos confirmaturam, ac debellaturam hæreticos, non Chronicon te fuisse pollicitum; satis superque tibi esse, si bonus, gnarus, fidelis historicus sis, eòque mirabilior, quòd etiam sine ulla Chronologiæ notitia historiam scribere noveris. Sic à te lacessendo hac saltem ex parte abstinebit se protinus, redibitque ad notum exordium, quo Decretales Epistolas priscorum Pontificum, quarum auctoritate totum operis tui caput primum stat, operosè deridet.

Sanè hic tibi statim apocryphas concinet Epistolas Sixti I. Victoris, Zephyrini, Alexandri & Anacleti, quas ad testimonium producis ac recitas prolixissimè. Crescit enim Elephas tuus his phaleris adornatus, quas si quis expungat ut inutiles rei, quam tibi proponis, probandæ, profectò Elephas abibit in pulicem.

Ait apocrypham esse secundam Epistolam Sixti primi; quòd in ea de vasis consecratis, de appellationibus Romam scilicet deferendis agatur; quòd jubeat Episcopos judicium Romani Pontificis expectare, atque ejusdem per Epistolas institutionem expetere: quæ dicendi scribendive formulæ ætati primorum Pontificum fuere prorsus ignotæ: Quòd auctor ejusdem Epistolæ pleraque suorum dictorum excerpit ex Sixto posteriori, ex Zosimo, ex Quinto Concilio Romano sub Sym-

N macho

macho & ex priore Martino: Denique quòd ea Epistola data sit Adriano Consule, cùm ex fastis consularibus atque ex ipso Baronio, Sixto I. Ecclesiam gubernante, nullus fuerit Adrianus Consul.

Jam Epistolam quoque Victoris ad Theophilum Alexandrinum ex dictis alibi, supposititiam esse contendit, cùm Theophilus Alexandrinus Victore junior fuerit ducentis integris annis: ni quis acumine tuo perverso satis atque ridiculo uti velit, ac Theophilum Alexandrinum Cæsariensem appellet ac Palestinæ Metropoliten; qui nimirum aut ducentis ante annis Cæsareæ Sacris præfuerit cum Victore victurus, mox Nestore Pylio annosior Alexandriam sarcinas suas transtulerit cum innocente Chrysostomo pugnaturus: aut unus & idem fuerit Theophilus & Cæsareæ Episcopus & Alexandriæ Patriarcha, præfectus Palestinæ, ac Primas Ægypti; uno verbo, ex oraculo tuo, quod ne Sphinx quidem intelligat, *Theophilus* Alexandriæ Episcopus, Metropolitanus Cæsareæ Palestinæ, Vale, mi Vaira, & macte istac eruditione tua planè mirabili, ait Criticus.

Atque illicò addit, Epistolam quoque Zephyrini constare locis Leonis I. Isidori, Vigilii, Gregorii Magni, Martini I. Adriani I. excerptis etiam Codicis Theodosiani, Aniani, Sixti Pythagoræi; legi in ea nomina Patriarcharum Primatum; agi de judiciis Episcoporum, de appellationibus ad Sedem Romanam; ostentari nomen Consulis Gallicani, qui, si fuit unquam, ad annum duodecimum Telesphori pertinet, ut notat ad An-

num

rum CLII. Baronius, neque ullo modo convenit temporibus Zephyrini, cujus pseudonymæ Epistolæ consarcinator hoc etiam imperitè satis assumit, Discipulos septuaginta ab Apostolis fuisse lectos.

Tributam quoque Alexandro Pontifici Epistolam multa præseferre manifestæ falsitatis indicia; proponi ibi praxes quasdam ac mores non nisi post ævum ejus Pontificis ab Ecclesia receptos, sigillatim autem morem benedicendæ aquæ immistæ sali; disseri etiam clarissimè de Triade divina, atque ita palam rejici Sabellianorum & Arianorum errores, ut evidenter appareat post earum hæreseon exortum conscripta; Denique in ipsa notari corrasa multa ex Idacio Claro, ex Siricio, ex Proclo, ex Ennodio, ex Adriano I.

Quod spectat ad Epistolam Anacleti, negat eam ab illo Pontifice potuisse scribi. Nam ibi Anacletus asserit se defensorem Clementis, cùm tamen constet ex Irenæo, Eusebio, Hieronymo cæterisque scriptoribus priscis, Anacletum seu Cletum, qui idem est, non Clementis, sed Petri successorem fuisse. Prætereà auctor Epistolæ dicit accepisse se multa ex traditione à majoribus suis, quod quis mentis compos existimet convenire posse Pontifici qui vixerit ætate Apostolorum? Item edicit ut appellationes à judicibus laicis ad Episcoporum tribunalia deferantur, quod itidem qui congruit Apostolorum temporibus? Simili modo statuit confirmanda esse privilegia, legesque Ecclesiæ confirmandas: At neque tunc privilegia reptans adhuc in cunabulis suis habebat Ecclesia, neque ullis adhuc aureum illud sæculum conscriptis legibus utebatur.

batur. Quid? quod in eadem Epiſtola agitur de appellationibus ad Sedem Romanam, ſpecies atque diſcrimina cauſarum Eccleſiaſticarum enumerantur; cùm neque illis temporibus quæſtiones hujuſmodi agitarentur, neque, cùm agitari cœpere, ullus unquam auctoritatem hujus Epiſtolæ allegaverit.

Addit in eadem Epiſtola ſermonem eſſe non tantùm de Primatibus ac Metropolitanis (quæ vocabula quis putet, Anacleto Pontifice, audita fuiſſe in Eccleſia?) verùm etiam de Apocriſariis, quos ignotos Romanæ Eccleſiæ uſque ad ſextum Sæculum nemo neſcit. Denique notat illam Epiſtolam barbarè loqui, refertam eſſe ſolæciſmis, conſtare plurimis locis ex Epiſtolis Damaſi, ex Ambroſio, ex Concilio Carthaginenſi III. ex Auguſtino, Rufino, Ennodio, Bonifacio Moguntino, præſertimque loco Cypriani ex libro de Unitate Eccleſiæ.

Hæc ſummatim propoſita, atque hìc à me brevi quadam Epitome comprehenſa, hæc, inquam, ſunt quæ hinc inde collecta compactaque in validiſſimas probationes tuas, quæ maximè ex his Epiſtolis deſumuntur, contorquet Profeſſor noſter, ratus his collectaneis atque argumentationibus eas Epiſtolas, quas aliunde ipſe perutiles optimiſque refertas documentis judicat; ad idipſum ad quod à te aſſumuntur inutiles & apocryphas evidentiſſimè demonſtrari. Quò jactantiùs atque ſuperbiùs, cervice adſtricta obtortoque collo ad doctorum hominum tribunal Prudentiam tuam trahit, quæ ubique claudicans his planè ficulneis fulcris innititur.

Vah,

Vah, inquit, hominem arroganter improvidum, qui certissimam causam Oecumenicæ potestatis his figmentis statuminet! Num desunt argumenta fortissima ad eam comprobandam? Si ea novit, cur illis abjectis, hæc sibi conciliat? Si non novit, qua fronte argumentum tàm grande tàm impar humeris suis aggreditur?

Attamen, inquit, noster Criticus, quid pro his victis Epistolis dicat (7) Antecessor, notato, sodes, atque rideto. Asserit auctoritatem gravissimorum & Scriptorum, & Patrum pro his Decretalibus militare: rejici eas à Magdeburgensibus eorumque asseclis ex levi conjectura: esse hostes & nominis & potestatis Oecumenicæ, qua sola Romana Sedes fungitur, omnes illos qui has Epistolas Decretales rejiciunt. Sic Doctor Vaira. Verùm contra Criticus Professor existimat has esse garrulæ loquacitatis intemperias, quibus ineptè strepis, aurèsque miseri lectoris obtundis: nec tamen ullatenùs satagis, quemadmodum deberes, ut eum proposita ratione aliqua persuadeas, cujus adeo incuriosus es, ut à sæculo scripserit nemo; penes quem jactura rationis, minoris sit habita: conari te quidem, ludionum ritu qui manu præstigias faciunt, lectori fucum facere, objecta loco probationum quas ipsi clamores tui pollicentur, hac facetissima clausula: *Nihilominùs in præsenti nihil de hoc disputo; aliàs tractaturus copiosè*: sed conatus tuos ait inficete ridiculos esse, cùm nemo non te statim interroget, cur aliàs, non verò nunc? cur ali-

(7) *Vide* Col. 59. lit. A. B.

alibi, non in hoc capite, in quo vis penè omnis tam prolixæ narrationis ex hisce Epistolis pendet?

An expectandum est, ait, ut vel librum de Monachismo edas, in quo decoxit olim ingenium tuum; aut Spartam de infallibilitate Pontificis, tam in jure, quàm in facto, assumptam adornes, quam æque infeliciter, ac Oecumenicam potestatem temeraria istac tua simplicitate pessumdes? Da igitur infirmitati tuæ alterum colorem: Nam penes doctos hoc effugio parum arguto palam indicas, te jamdudum ignarum rationis modique quo possis ab arena descendere, in quam imprudenter ingressus es, fugam turpem arripere: Retracturum te tamen etiam invitum se spondet Criticus noster, acturumque ut tandem intelligas, tractandum tibi fuisse hoc præsertim in capite primo Operis tui de eo, si potuisses, quod te aliàs tractaturum magnificè polliceris.

Nam sic te coram interrogat. Doctor Antoni, vel bona mente & ex recti bonique fide credis, Decretales Epistolas Pontificum ante Siricium, germanas esse, atque ab iis quorum nomine inscribuntur conscriptas; vel id neutiquam credis. Si non credis, quare illas adducis ad vindicandum Romano Pontifici nomen & titulum Oecumenici? Quorsum prolixissimis earumdem locis usquequaque saginas Operis tui pinguissimum caput primum? Quorsum denique illas appellas *fundamenta firmissima*, & reprehendis acriter ut hostes Oecumenicæ Nomenclationis ac potestatis, quotquot ratione duce ac rerum ipsarum clarissimo testimonio illas rejiciunt? Quòd si reapse putas à Pontificibus, quo-

quorum præferunt nomina, conscriptas fuisse; cur id non probas? cur quæ contra validissimè proferuntur argumenta non refellis, nota tibi, ut videris innuere, ac translativa?

Non dubitat Professor noster quin tu hac interrogatione perculsus, responsurus sis hoc modo: Non est cur clariùs hac de re sententiam meam edisseram; satis id præstiti hactenus: Nonne (8) Labbæum typis editum regiis testem produco locupletissimum dicens: *Vide Labbaum tom. I. Conciliorum & tom. I. ad reg. edit.* Nonne hæc ibidem quasi Apollinem afflatus pronuntio: *Ubi clarissimi Auctores validè refellunt adversariorum argumenta, summovent & exterminant; adeo ut illarum Epistolarum evidenter probentur auctores Pontifices illi, quorum nominibus signantur.*

Hæc tu: Nostin quid reponat procacissimus Professor noster? Professus jamdiu esse, ex quo te hoc ipso in loco prudens libens expectat, ait à te neque visum neque lectum Labbæum; nec posse se intelligere quorsum illum produxeris, nisi ut diutius in eadem scena luderes, dici aliquid à te jactares, augeres verba simul & testimonia. Sperasti te nomine Labbæi, viri proximè elapso sæculo clarissimis lectoribus imponere, atque ejus celebritate auditorum tuorum aures obstruere: Siquidem existimasti neminem unum, aut certè paucos de his tecum acturos, curaturosque ut eorumdem rationem redderes. At declarat paratum se esse actioni, qua te solemniter falsum esse ostendat, si, ut videris clam mussitare, audeas dicere Lab-

(8) *Vide* Col 59. lit. B. in marg.

re Labbæum tecum ſentire, quem coràm affirmat eſse ſententiæ tuæ hoſtem acerrimum.

Hunc in modum Criticus noſter, cujus petulantiam vix tibi tolerabilem eſſe conjicio, cùm mihi quoque ſtomachum moveat, tui cauſa. Quid? ut tibi coràm hæc eat inficias? ut te aſperum tactu leonem non reformidet; nec juriſprudentiam tuam, ſtricto quotannis Salomonis gladio *ex cap. Afferte. De præſumptionibus*, toti Europæ terribilem, revereatur? Quid? quod in os tibi turpis mendacii notam hìc itidem incutit & apertè confirmat, tuum iſtum Labbæum adverſari tibi, evertere malè ſanas probationes tuas, rejicere has ipſas Decretales Epiſtolas, utpote quas ſolemni ſententia ſpurias ac ſuppoſititias declarat, habito prius accuratiſſimo examine partium de earum ingenuitate contendentium, auditiſque patientiſſimè Binio & Turriano latè pro iiſdem perorantibus.

Subdit idem Criticus, Labbæum, antequam ferret ſententiam eamque in publicum ederet, ſuo non contentum judicio evocaſſe ad conſultationem pleniſſimam planeque ſenatoriam Baronium, Bellarminum, Perronium, Antonium Auguſtinum, Lorinum, Sirmondum, Ducæum, Petavium, De Marca, Boſquetum alioſque quamplures, qui palam adſtipulati communi ſuffragio eidem ſententiæ ſubſcripſere.

Excellentiſſime Anteceſſor, cave, quæſo, ac te ipſum curiosè circumſpice; cave, inquam, inſidias Critici noſtri; nam ſi hoc ipſum quod jactat de teſtimonio Labbæi, illi ex voto contingat, de primo capite doctiſſimi Operis tui actum penitus

eſt.

est. Qui enim hoc speres aliquid constitui, quo permovere, perstringere, percellere queas hæreticos aut schismaticos, cùm *his firmissimis fundamentis tuis*, vel ipsi celeberrimi Catholici ex professo, palam & catervatim adversentur? Cura statim ut Labbæum invenias & legas: diligenter observa, expende quæ dicit, quæ scribit. Quid? si perfidiosus hic Criticus, gnarus te minime solitum hujusmodi libros odorari, textum de quo contenditur, dolosè corruperit, ut te joculari cavillatione percelleret? Attamen constanter asserit, producturum se integram, uti jacet, sententiam Labbæi judicis à te sponte in hac causa recepti.

Itaque profitetur ac solemni ritu declarat Labbæanam sententiam sequentibus verbis contineri, quæ, jurejurando adhibito, affirmat à se exscripta ex tomo I. Conciliorum editionis regiæ Parisiensis anni 1678. pag. 79.

Bellarmini & Baronii auctoritate fultis liberum erit venerandos Pontificum veterum titulos Epistolis illis detrahere: presertim cùm eruditissimi viri industria. (In margine habetur: vide Pseudo-Isidorum editum anno 1628.) *ab aliquot annis eò processerit, ut sententię & verba ipsa ex quibus Epistolę contextę sunt, à quibus auctoribus petita sint, accuratissimè demonstraverit: cui tamen in eo suffragari non possum, quòd atrocioribus verbis Epistolas illas dilaceret, quas è sententiis & verbis Legum, Canonum antiquorum & Sanctorum Patrum, qui quarto vel quinto sæculo floruerunt, si pauca demas, concinnatas esse constat.*

Minatur Professor noster hanc se Labbæanam sententiam publicaturum, ut omnes intelligant

O quàm

quàm apertè dissentiat à te Labbæus & quidem citato Blondello, cui, seclusis atrocioribus verbis quibus in illas Epistolas invehitur, in reliquis præsentissimè suffragatur.

Antecessor eximie, ut tecum ingenuè ac simpliciter agam, Criticus hic noster, ut video te undequaque circumscriptum in arctum deducit; nec desunt qui putent te difficilè discussurum hæc retia, quibus manifestè teneris: Fit adeo, ut eorum multi, qui mecum tua venerantur & amant, conclamatum de te esse pronuntient, meque hortentur, ut tibi scribam, si qua potes, aut opibus aut patronorum auctoritate, viam aliquam ac modum invenias, quo Critici nostri animum flectas eumque ab edendis hisce notis absterreas; hac præsertim ultima & molestissima, quæ gravissimam Prudentiam tuam, adducto veluti laqueo, strangulat.

Verùm ego sic mecum ipse rem penitus introspicio: Excellentissimus Vaira vidit certè, legit perpenditque Labbæum antequàm illum in testem produceret, præsertim cùm à Labbæo Binii ac Turriani dissertatio ante sententiam examenque producatur. Qui ergo esse potest tàm monstrosa in producendo teste repugnantia? Eximius Vaira dubio procul non citasset Labbæum, si hic in editis re ipsa loqueretur, prout à Professore nostro refertur: Simulasset potius scriptoris ejusmodi plenissimam ignorantiam, sententiamque suam Binii ac Turriani, qui adversariorum *argumenta summovent & exterminant*, auctoritate fulcivisset: vel saltem produxisset Labbæum ut adversarium, ejusque rationibus,

nibus, si non plenè (nam aliàs de his se copiosè tractaturum pollicetur) at certè obiter respondisset. Ergo sic ego conficio: Criticus hic noster Labbæi locum corruperit, eritque ut Excellentissimus Vaira protervum hominem falsi reum faciat coram integra eruditorum omnium panegyri.

O! utinam hoc agas, Antecessor amplissime! Utinam falsi convictum arrogantissimum hominem ad capitalem numellam ignominiosè deducas! Non dissimulabo tunc ego furorem meum, primusque ad cippum infamem alligatum pomis marcidis ovisque veteribus petam. Sic ego mecum ipse reputabam tacitus, reliquis amicis interim perstrepentibus ac de tuo nomine famaque seriò consultantibus; cùm ex illis quidam astutulus: At vos, inquit, his inanibus consiliis & consultationibus insenescitis, nec videtis, quàm facilè Doctissimus Vaira stropham hanc patentissimam Professoris nostri sit elusurus: Adestedum, legite, quod ex Labbæo Antecessor producit.

Jubet Lectorem suum famigeratissimus Vaira, Labbæum legere, non qua parte sententiam suam dicit, sed qua aliorum exponit & improbat. Uno verbo, hoc est apud Vairam solertissimum illud, *Vide Labbæum*, quod, Labbæum ne videas, sed in Labbæo vide quid scriptores à Labbæo rejecti censuerint. Vult altero oculo clauso ut lector dicta Labbæi ne videat; altero aperto perlegat & accuratè percurrat à Labbæo non dicta, sed ab aliis dicta, quos Labbæus non audit. Hæc sunt ipsissima Antecessoris sensa: his insurget in Criticum nostrum eumque convincet de manifesta calumnia,

 pro-

professus, citato Labbæi nomine, à se Labbæum non fuisse citatum. His dictis assensere omnes, & quidem cum plausu atque amico tripudio. Tu, Vir præstantissime, horum scilicet memento, cùm locus tempusque postulabit, atque his ingeniosè propositis, quasi peremptoria exceptione interposita, petulantissimum Criticum, quacumque te convenerit actione, repelle.

Is ob hactenùs in te contorta suæ critices spicula, plusquàm Achillæo fastu superbit & quasi Carthaginem expugnaverit in hoc primo capite celeberrimi Operis tui, sublimem se surrigit, animoque & vultu insolenter se jactat. Videtur sibi in hominum capita ludere, & toti terrarum orbi præesse, nec contentus accusatione mendacii cui te obligatum asseruit, eam ipsam accusationem à se probatam existimat eamque insolentissima apostrophe, herculeis planè verbis, amplificat.

„ Audite, inquit, & obtupescite, & unà mecum ridete, si sapitis, quicumque caput hoc primum Vairiani Operis perlegistis. Confercit illud Auctor ac planè applet argumentis probantibus, sibi à priscis Pontificibus assertum fuisse Oecumenici nomen ac titulum. Ea argumenta fortissima nuncupat, quippe *fundamentis firmissimis* nixa. Unde verò firmissima ista fundamenta? Ex testimonio nempè usque ad patientiam Lectoris numeroso vetustissimorum Pontificum, quorum Epistolas longa serie citat, aggerat, ingerit. An plura desideres? At ubi ad fatalem devenit necessitatem probandi Epistolas illas ab iis verè Pontificibus fuisse conscriptas, quorum nominibus signantur, festivus

stivus homò quid, putas, comminiscitur? Pyrrichiam saltat ac mussat: nihilominùs, inquit, de eo *in præsens nihil disputo, aliàs tractaturus copiosè*. Mox animadvertens se malè saltasse, prono capite, sublatis pedibus prolabitur, conjectaque intra crura cervice rotat se se atque circumagit, nec redit in caput aut in pedes se surrigit; tantùm exclamat: Ite, Labbæum legite, penès quem occurrent viri clarissimi, qui contradicentium argumenta summovent & exterminant. Infelix lector Labbæum curriculo convenit, ac penès eum deprehendit, videt, audit scriptorum omnium clarissimos, omnium eruditissimos, &, quod maximè notandum, Romanæ Sedis ac potestatis vindices acerrimos, auditis in contrarium Binio & Turriano, Epistolas illas, ipso Labbæo præde ac præcone, reprobantes tanquàm suppostitias & pseudepigraphas, quas eatenùs dumtaxat admittunt, quatenùs consarcinatæ sunt ex canonibus atque sententiis Conciliorum ac Patrum, qui quarto vel quinto sæculo æræ Christianæ floruere. Dicite Romulidæ, Io. Erit ne aliquis qui queat inficiari à Patavino Antecessore constituta fundamenta firmissima fabricæ quam molitur?

Sic noster Criticus, qui statim addidit posse unumquemque conjicere ex tàm validis fundamentis, quæ ad erigendam ingentem edificii tui molem in primo tuo capite jacis, quantæ sint ineptiæ quas edis in reliquis capitibus, quorum tota vis ac vigor præcipuus pendet à primo: posse omnes agnoscere, quàm sæpe hies ac torpeas, qui vel ab initio nondum lassus jam oscitas: posse te ipsum,

sum, si quid adhuc sapias, deprehendere, quàm temerè quàm inconsideratè argumentum ingens per duodecim capita, quasi per duodecim errorum *planetas* inani duodecim annorum labore deduxeris, qui ne primo quidem capiti sine crebra labe exantlando suffeceris. Ex quo tamen id tibi commodi augaratur Criticus noster, ut eruditus quisque à limine stomachatus, ulteriùs progredi nolit parcatque censuræ, quam singulæ paginæ libri tui plusquàm Catonianam merentur; id quod & ipsemet experimento probat; atque adeo concludit distædere se tui ineptiarumque tuarum; nolle iis cogendis adnotandisque tempus inutiliter absumere, nec se tàm patientem, tàm ferreum esse, ut ea legere vel audire posśit, quæ cùm nihil novi, nihil arguti referant, cùm omnia vieta, rancida, aliunde exscripta paśsim & ubique futilia; siquid novi, si quid arguti, si quid speciem habens staturi valiturique præseferunt, id totum falsum, fictum, & commentitium, nec nisi stolido boatu ac strepitu puerili potens esse comperitur.

Hi sunt, Antecessor excellentiśsime, postremi morsus, & quidem maximè venenati, quibus Critici nostri rabiosa dicacitas te appetit. His Collegæ adulandi periti applaudunt, palamque gloriantur, te, qui tanti te facis, potuisse ab eo probè dedolari, qui Professorum hic juris canonici minimus nondum in adyta sapientiæ penetravit. Eum publicè laudant, ei gratias agunt faustaque omnia comprecantur. Quin imo ita nudius tertius vanisśimum juvenem blanditiis, commendationibus, precibusque circumduxere, ut tandem ei,

tamet-

tametsi recèns alta de te silentia professo, persuaserint novas aliquas notas addere circa propositionem à te ultimo capite libri tui diligenter expensam, qua niteris ostendere grande scelus adversùs Oecumenicam potestatem & nomenclationem admissum à recenti quodam scriptore, qui incredibili audacia in libris à se editis Græcam & Orientalem Ecclesiam ante Latinam & Occidentalem nominare non vereatur. Criticus noster existimat quæstionem hanc esse de lana caprina, nec sibi persuadere potest, te ad tantos clamores, ulla pietatis cura, ullo amore studiove religionis inductum: censet potiùs tractum te ad instituendam hanc accusationem invidia aliqua peculiari atque livore quem in aliquem nutris. Quicumque ille sit, non dubitat Criticus noster, ridere eum profusissimè, cùm tàm insulsa farcimina tua legit; cùm videt quàm stupidè Latinam & Occidentalem Ecclesiam pro Romana sumas; cùm audit te tàm superbè in Græcam superbiam detonare, atque Græcos quoslibet ejus criminis arcessere, quod nunquam somniarunt. Sed rideat quicumque ille est, inquit Professor noster, atque istam obtrectandi pruriginem tuam subsannet hoc dilemate: Qui hunc scribendi modum à te damnatum usurpat, vel Catholicus est, vel Schismaticus: Si Catholicus, quid refert aut interest, quod nominet Græcam Ecclesiam ante Latinam, dummodò Romanæ Ecclesiæ Principatum atque Oecumenicam Potestatem agnoscat, recipiat, profiteatur? Quid? si etiam defendat, sepositisque ineptiis tuis, ex veræ rationis præscripto validissimè tueatur? Sin

verò

verò Schiſmaticus eſt, quis non videt ridiculum fore, ſi deſtitutus aliis probationibus, hac una puerili & inepta ratione Romanæ Sedis dignitatem oppugnet?

Deinde, inquit, quæſtio non eſt an Græcam Eccleſiam liceat nominare ante Romanam, Græcos Præſules ante Romanos Pontifices; qua in quæſtione, quæ ſcribis, quæ coacervas toto ultimo capite libri tui, non adeò fortè inſulſa fuerint. Hoc unum quæritur, an damnandus ſit qui Græcam & Orientalem Eccleſiam nominat aut ſcribit ante Latinam & Occidentalem? At quis non advertat utriuſque Eccleſiæ denominationem atque diſcrimen, non ad fidem, aut dignitatem vel poteſtatem, ſed ad ſolum ritum ſpectare? Quis neſciat jam olim probatum ab Allatio, & à recentioribus comprobatum, Græcos ritu quidem differre à Latinis, non fide, nec Græcos homines eſſe Schiſmaticos, aut Latinos omnes Catholicos: pertinere ad utramque Eccleſiam multos qui Romanæ Sedis ſupremam dignitatem venerantur, multos etiam, qui rejiciunt; in utraque autem, illos cenſeri Orthodoxos, hos verò heterodoxos atque Schiſmaticos.

Itaque, ut obſervat Criticus noſter, nominare unam Eccleſiam ante alteram, quandoque unius poteſtatem in aliam, quandoque longè aliud diverſumque ſignificat. Hinc rectè quis inferat: ut Latina & Occidentalis Eccleſia ſæpè ante Græcam & Orientalem nominatur, quod una aliqua inter Latinas, nempè Romana, omnibus præſit; ſic quandoque licet Græcam & Orientalem Eccle-

clesiam ante Latinam & Occidentalem nuncupare, quod, sepofita Oecumenica Poteſtate, in multis aliis, & quidem certiſſimis, huic illa antecellat.

Ecce juxta ordinem naturalem Oriens Occidendentem præcedit: Spectata antiquitate & præſtantia Linguarum, Græca Latinæ præcellit: Scientiarum inventione, artium induſtria, inſtitutione morum Græci præſtitere Latinis. Eccleſia prius in Oriente, ac deinde in Occidente fundata eſt. Chriſtiana Religio cœpit Hieroſolymis, atque inde totum Orbem occupavit. Nomen ipſum, &, ut loquitur eximius Anteceſſor, nomenclatio ipſa primùm Antiochiæ inventa eſt, ex qua urbe pervaſit Aſiam, Græciæ invecta eſt, navigavit in Italiam, atque inde per totum Occidentem percrebuit.

Quid? Petrus Apoſtolorum princeps, nonne in Oriente, deinde in Occidente ſellam traditæ divinitùs poteſtatis hæredem conſtituit? Ipſe Servator Chriſtus in Oriente natus, in Oriente divinæ arcana ſapientiæ publicavit, in Oriente orbis univerſi ſalutem fuſo Sanguine operatus eſt. Nempè Orientales omnes Apoſtoli & primi Diſcipuli: Concilia prima, & quidem Oecumenica, in Oriente celebrata. Ipſa novæ Legis edicta ſive in Evangeliis, ſive in Epiſtolis canonicis, ſive aliis quibuſcumque ſcriptis hagiographis Orientali & Græca lingua promulgata, Græcè etiamnum loquuntur.

Hæc & alia multa, quibus, citra poteſtatis conſiderationem, Eccleſia Orientalis præit Latinæ,

asserit Professor noster sufficere cuilibet sanæ mentis homini, ut excuset, imo & commendet quemlibet catholicum scriptorem, qui pro subjecta materia & loci opportunitate Græcam & Orientalem Ecclesiam ante Latinam & Occidentalem nominaverit. Unde suspicatur te non nisi occulto quodam livore & inconsulta maledicentia hunc loquendi modum carpere. Hoc fieri ait, ut Andabatarum more in hoc ultimo capite libri tui Græcos ex hac parte innoxios oppugnes. Planè se risum continere non posse, dum te videt in nihilo laborioso occupatum; dum legit importunè congesta, nihil probantia, otiosè producta, quibus non aliud agis, quàm quod magnus ille penès Martialem ardelio: dum considerat te rudi quidem, sed immenso labore ea loca curiosè consarcinantem, in quibus scriptores Græci Romanam Ecclesiam, quæ tibi soli eadem est ac Latina, ante Græcam nominarunt: quasi verò hi ipsi, & his majores doctioresque Græci, & quod caput est, Orthodoxi magis, & de Ecclesia Catholica optimè meriti, non sæpè Græcam, & Orientalem Ecclesiam scripserint ante Latinam. Credo illum hac ipsa die scriptores ejusmodi diligenter evolvisse. Siquidem tanquàm eos in numerato haberet, citavit mihi Veccum in septem Epistolis ad Theodorum Sugdææ, Metochiten in utraque Oratione pro Vecco contra Georgium Cyprium, Melitiniotam in triplici Antirrhetico contra novam hæresim Cyprii, Arcudium in diatriba de scriptis Palamæ, denique Leonem ipsum Allatium tractatu de processione Spiritus Sancti, diatriba de libris anonymis, & libel-

libello de Joanne Papissa: qui quidem Allatius, si alicubi diversum scribendi modum probavit, iisque rationum momentis defendit, quæ tu latè hìc exscribis, nequaquam tamen aliam, de qua hìc agitur, scribendi rationem, quam sæpissimè usurpat, prorsus damnavit: Hoc unum asseruit, habita ratione potestatis & jurisdictionis, Romanam Ecclesiam Græcæ & Orientali in scribendo esse præponendam.

Non enim, inquit noster Criticus, Allatius reconditæ vir literaturæ, & antiquitatis sedulus indagator ignorabat hunc ipsum loquendi ac scribendi modum esse apud sapientissimos Græcorum, & maximè Orthodoxos usu receptum. Noverat præter auctores supra citatos, sic scripsisse Bessarionem in pluribus Epistolis ad Philantropenum, ad Plethonem, ad Gennadium, in tribus encyclicis ab eo ad Græcos, postquàm Cardinalis renuntiatus est, exaratis, denique in toto de unione Tractatu. Noverat non aliter scripsisse Romanæ Ecclesiæ propugnatores egregios, Demetrium Cydonem in libro de erroribus Palamæ, & libro de Spiritu Sancto; Gennadium Patriarcham in omnibus Epistolis, in Refutatione dictorum Palamæ, in Oratione de insulis suis; Gregorium Protosyncellum Patriarcham penès eumdem Allatium libro de consensu *col. 953. & sequentibus*, in Epistola ad Imperatorem Trapezuntis; Joannem Plusiadenum, sive is sit Joseph Methonensis, in Dialogo. Postremo noverat nullum unquam fuisse Græcum, qui aliquid scripserit, aliquid pro Romana Ecclesia ediderit, qui hùnc ipsum loquendi & scriben-

di modum à te damnatum non usurpaverit.

Adjungit Criticus noster, nolle se, ne paginam quidem Auctorum Latinorum evolvere, tametsi plurimos esse sciat, qui Græcam & Orientalem Ecclesiam ante Latinam & Occidentalem scribendo nominent: satis esse evertendis infelicibus tuis conatibus perpaucas Latinorum virorum, & quidem omni exceptione majorum, auctoritates, quas illi nudius tertius Discipulus quidam minutulus, porrecta syngrapha, suppeditavit. Eas mihi seposui, & sine mora ad te mitto, quò maturiùs, quid illis respondendum sit, cogites. Neque enim elidi possunt arguta cavillatione quam ex Everardo post Abbatem & Felinum purus putus Canonista mutuaris.

Igitur sic ex Syngrapha discipulus ille: Quid ait Excellentissimus Vaira: Damnatus scribendi modus est, *Græca & Latina*, *Orientalis & Occidentalis Ecclesia*? En damnato utitur scribendi modo maximus Doctor Ecclesiæ Hieronymus, non Latinam modò, sed ipsam Romanam Ecclesiam nominans post Orientales Ecclesias. Quid facient, inquit, *Orientis Ecclesiæ, quid Ægypti, quid Sedis Apostolicæ?* An Vairæ Schismaticus Hieronymus? August. *lib.* 4. ad Bonifac. *cap. ultimo: Propter Pelagianos*, ait, *Orientis & Occidentis Synodus congregatur* (*a*). Quid Magno Augustino cum schismate? Fulgentius *lib.* 2. de veritate prædestinationis & gratiæ, Orientis Episcopos Occidentalibus anteponit; neque tamen ullus Fulgentium Schismaticum dixe-

(a) *Item de Baptis. contra Donatistas* lib. 4. cap. 24. *Quod igitur Orientalis, quod Occidentalis prædicavit Ecclesia.*

dixerit. Prosper in Epistola ad Rufinum Orientales Episcopos ante ipsam Sedem Apostolicam nominat: Num & Prosper Schismatis reus?

Certè Oecumenica Synodus Ephesina neutiquam Schismatica; & tamen sic loquitur act. 3. *Omnes Orientis & Occidentis Sacerdotes vel per se, vel per legatos suos Sacerdotali huic consessui intersunt*. Quid Thomas Aquinas Doctor Angelicus, qui doctissimè scripsit contra Græcos? Num favet Schismati, *quod in 4. sent. dist. 11. quæst. 2. art. 2. quæst. 3.* sic scripserit. *In hoc videtur esse diversitas inter Græcos & Latinos; Græci enim de fermento, Latini de azymo conficiunt?* Sed & Schismaticus erit Ecclesiasticorum Annalium parens Baronius. Is enim, tametsi Græcis nonnunquam parum æquus, plerumque Græcos & Orientales Latinis & Occidentalibus scribendo præmittit. Id patet *tom.* 2. Annalium, ut alios tomos omittam, uti videre est ad annum 104. *num.* 9. *an.* 108. *num.* 2. *an.* 109. *num.* 51. *an.* 114. *num.* 4. *an.* 180. *num.* 13. *an.* 131. *num.* 3. *an.* 262. *num.* 64. *&* 66. *an.* 299. *num.* 3. *an.* 301. *num.* 48. *an.* 304. *num.* 62 Quinimo & ad *an.* 233. *num.* 19. sic habet: *Hanc fidei catholicæ regulam Gregorio divinitùs impertitam cùm Orientalis, tùm etiam Occidentalis Ecclesia cognitam comprobavit: & ad an.* 272 *num.* 11. *Universa Orientalis & Occidentalis Ecclesia Filii Dei divinitatem absque aliquo ambiguitatis scrupulo profitetur*. Baronio adjungendus Bellarminus hæreseon & Schismatum domitor, & Romanæ Ecclesiæ dignitatis propugnator acerrimus. Nam *lib.* 1. de Romano Pontifice *cap.* 10. *Accedat*, inquit, *consensus Ecclesiæ totius, & Græcorum ac Latinorum Patrum*. Et eodem *lib. cap.* 25. *Testimoniis Patrum*

Græ-

Græcorum ac Latinorum confirmatur Primatus Petri. Et lib. de Sacram. Ordinis cap. 3. *Concilium Florentinum Græcis & Latinis probantibus*, *&c.* Solet etiam Liturgias græcas latinis præponere ut *lib.* 2. *de Missa cap.* 12. & Patres Græcos atque Orientales, ante Latinos & Occidentales in producendis eorum testimoniis appellare, ut videre est *lib.* 2. *de Christo cap.* 24. *&* 29. *lib.* 1. *de Cler. cap.* 15. *lib.* 2. *de Monach. cap.* 1. *&* 25. *lib.* 1. *de purgator. cap.* 10. *lib.* 1. *de beatit. sanct. cap.* 1. 4. 5. 19. *lib.* 5. *de grat. & lib. arb. cap.* 24. Unicum locum libet hìc referre *ex lib.* 1. *de Missa cap.* 23. *Postrema*, inquit, *ratio*, *eaque meo judicio efficacissima* ...... *sumitur ex consensu & testimonio totius Ecclesiæ Christianæ*, *Græcæ*, *Latinæ*, *Barbaræ*.

Quinetiam Romanos Quæsitores, & Apostolici Palatii Magistros hæc Antecessoris Patavini sententia premit. Eorum quippe auctoritate & permissu eduntur Romæ libri, in quibus scribendi modus, de quo hìc agitur, passim occurrit. Sic anno 1702. typis Antonii de Rubeis cusum est specimen Orientalis Ecclesiæ ab Alumnis quidem Collegii Græcorum exhibitum, sed auctore Joanne Baptista Salerno Societatis Jesu doctissimo viro concinnatum, ubi sic Præfationis *pag.* 2. legitur: *Ecclesia citra detrimentum unitatis suæ veluti per medium in Orientalem atque Occidentalem dividitur*, & pag. 4. *Principio nulla fuit Sanctæ Christi Reparatoris Ecclesiæ in Orientalem atque Occidentalem divisio; tota Orientalis erat*, & pag. 53. *Ita demum Patres omnes tum Græci*, *tum Latini*, & pag. 88. *aliique tum Græci Patres*, *tum Latini*. Uno verbo nusquam in elegantissimo Opusculo locus occurrit utramque Ecclesiam discriminans,

quin-

quin Orientalis Occidentalem, Græca Latinam præcedat.

Idem peccavit, si Doctori Vairæ credimus, Martinus Szent-juanij Sacerdos Societatis Jesu in Dissertatione Chronicopolemica jussu & impensis Eminentissimi Leopoldi Kollonitz Cardinalis & Strigoniensis Archiepiscopi edita anno 1703. in qua ferè semper Orientalis Ecclesia Latinæ præponitur hoc modo: *Ecclesia Orientalis & Occidentalis, Græca & Latina* cap. 1. §. 1.

Denique ipsi Rutheni uniti, dum se Romanæ Ecclesiæ subjiciunt, non alio quàm damnato per Doctorem Vairam scribendi ordine utuntur, atque Orientalem & Occidentalem Ecclesiam prædicant; idque dum Clementi VIII. Summo Pontifici scribunt, ejusque Oecumenicam potestatem venerantur, ut videre est in memorata Dissertatione Chronicopolemica in Appendice.

Hactenùs Discipulus ex Syngrapha, quam Professor noster Collegis suis legit, quamque ita communis plausus excepit, ut nullus fuerit, me uno excepto, qui non temeritatem (sic enim loquebantur) inscitiamque tuam non fuerit detestatus: nec defuere ex senioribus, quorum ad severitatem ingenium propensius, qui legem à Professore ante propositam & à me initio hujus Epistolæ relatam, revocandam rogandamque clamore ac fremitu manifesto censerent. Sed obstitit tumultuantibus Criticus, declarans sua non admodum interesse, si ex inconsulta ultimi capitis stoliditate damnarere, actionem suam circa primum caput, illudque non integrum, Operis tui, potissimum

ver-

versari : ex illo te reum factum citra omnem tergiversationem, ei addicendum supplicio, cui Marsyam, vel Midam Apollo barbaros & ineptos judices addixit.

His dictis Criticus noster, ea, ex quibus te tam insolenter accusat, tandem absolvit. At ego, eo tacente, redeo ad officia quæ tibi debeo, quibusque prolixæ jam nimis Epistolæ finem faciam. Ex hac & aliis ad te scriptis, satis, ut puto, agnoscis, Excellentissime Doctor, quàm amicè te diligam, qui tanto cum periculo atque labore sensa & dicta veteris amici & Professoris nostri ad te diligentissimè perscripsi, ratus illa tibi & voluptati & utilitati fore : voluptati quidem, quod præstantissimum Opus tuum eruditorum manibus teri audias; utilitati verò, quod prævisis adversariorum telis fortiùs adversùs eos dimicabis.

Macte igitur animo, atque ita in arenam descende ut communis hostis intelligat, non impunè tàm petulantem tàmque improbam à se criminationem institutam fuisse. Quantum ad modum tibi in hac defensione tenendum, ingenuè dicam quod sentio, non ita tamen ut tibi aliquid præscribam, sed ut totum judicio ac prudentiæ tuæ subjiciam.

Ego quidem in hac defensione generalibus inhærerem, nec unquam ad peculiaria descenderem. Primùm, quòd non videtur è dignitate Antecessoris primarii de minoribus cum Magistello & penè non pædagogo contendere; deinde quòd periculosæ plenum opus aleæ sit, in re sæpè lubrica gradu gladiatorio consistere. Assererem potius

uni-

universim quæcumque oppugnantur; & quasi saturnia falce demeterem omnes difficultates, palam declarans à te nihil scriptum, quod exscriptum probè summaque cum fide non fuerit ex libris, auctore Prætore & ex licentia superiorum in publicum editis: sic nimirum lucrabere, etsi non plausus eorum qui magis sapiunt, at dubio procul laudes eorum, quos devotos ac Zelantes appellant. Quod attinet ad sententiam Labbæi circa veterum Pontificum Epistolas, non te premet difficultas objecta: hanc difflabis ex argutia Discipuli paulò anteà recitata, dicesque non eò à te productum Labbæum ut legeretur probareturque ejus sententia, sed ut audirentur probarenturque Binius & Turrianus, neglecto prorsus Labbæo scriptore neoterico, ac procul abjectis auctoribus ab eo citatis, quorum plerique sicut Binii ac Turriani auctoritatem non æquant, ita fortasse Magdeburgensium impietatis nescio quid, imo verò non modicum quid redolent. Ejus etiam satagerem, ut tuo gravissimo calamo quæstio aliqua Chronologica ex obscurioribus perstringeretur, cui fortè faverit priscus aliquis Scriptor; & quamvis neque Synchronus nec eruditis probatus, id tamen agerem, ut tibi clypeatam opem ferret ejus antiquitas. Præstare hæc omnia locupletissimè poteris, cùm optatissimum omnibus volumen de infallibilitate Romani Pontificis in quæstionibus tum juris, tum facti, prælo subjicies. Tunc brevi periodo, sed tornata, curto sed rotato sermone importunitatem ac petulantiam Critici nostri conteres, conficies, ad nihilum rediges, si

responderis, edat & ille duo volumina in folio; mox Pyrgopolinices esto, cui mali, quod sentiat, abundè sit. Ad alios quosdam locos, vulpino more, ut ajunt ex italico adagio, saltu transilirem saltum, catè nimirum, dissimulanter, & callidè. Nam si verum vis audire, instat à tergo tibi odorus maximè atque acutissimi nasi canis. Is adeò eludendus erit, ne latratus congeminet: & congeminabit medius fidius, si quid repones minùs aptum, allatrabitque vehementiùs, notatis omnibus etiam quæ in reliquò Opere tuo à sensu communi Literatorum omnium longiuscule peregrinantur. Quare meo consilio, prævertendus erit, cùm res postulabit, arte magistra salubris semper silentii, fugæ persæpè non indecoræ, incuriæ nonnunquam opportunæ, tibique maximè profuturæ.

Hæc sunt, Præstantissime Antecessor, quæ tibi ad defensionem tuam, pro meo in te studio & amore, suggerenda duxi; qua in re, si tulerit occasio, nunquam officio meo deero, habiturus grande operæ, laboris & cujuscumque dispendii pretium, si tibi placuero, cui rem, incolumitatem, decus, omnemque felicitatem animitùs precor.

Romæ pridie Kalend. Martii MDCCVI

ERRATA.

Pagina.	Linea.	Erratum.	Correctio.
	1.	Excellenctiſſime.	Excellentiſſime.
Ib.	12.	iſthic.	iſthæc.
3.	ult.	lævitatem.	levitatem.
13.	penult.	Id.	Ejus.
22.	20.	auctores.	auctor es.
28.	15.	neſtorium.	Neſtorium.
Ib.	21.	exprobavi.	exprobraui.
30.	5.	Cæleſtinum.	Cæleſtium.
33.	13.	Anteceſſorem.	Anteceſſore.
37.	8.	mendacia eſſe.	mendacia brevia eſſe.
Ib.	11.	violenta.	virulenta.
41.	13.	plurimum.	plurium.
44.	15.	lib. 1.	l. 1.
Ib.	16.	lib. Conventicula.	l. Conventicula.
55.	3.	qua.	quam.
56.	6.	uſus.	ut ut.
58.	3.	obſuerunt.	obſuerint.
61.	19.	Cypriano.	Cyprianum.
67.	27.	ipſis.	iſtis.
Ib.	29.	opportunò.	opportunè.
72.	18.	Syncrono.	ſynchrono.
78.	9.	tertium.	teſtium.
82.	26.	Hunc.	Nunc.
83.	1.	exſcripto.	exſcriptor.
85.	9.	in diem.	in idem.
87.	14.	cujus.	cujas.
90.	19.	cachoetes.	cacoethes.
91.	1.	Gratulor.	Gratulari.
97.	12.	exordium.	exodium.
101.	9.	victis.	vietis.
103.	24.	clariſſimis.	clariſſimi.
108.	19.	obtupeſcite.	obtupeſcite.
Ib.	22.	applet.	opplet.
112.	18.	homines.	omnes.
114.	11.	laborioſo.	laborioſè.
118.	penult.	opuſcolo.	opuſculo.

Leviora errata Typographi contra orthographiam
Lectores condonent.